

~~10 24~~

100 dte

P. d. 174


ex libris P. Engelberti.

pro 3. 98.


Theol.

~~O. IV. 311.~~ N. IV, 427









3

*Sancti Patris & Doctoris Aurelij  
Augustini Episcopi Hipponensis*

D E

# Fide & Operibus

LIBER UNUS.

Johannes Henichius S. Theol. Doct.  
& in Academiâ Hasso-Schaumb. Professor

EDIDIT.

*Accessit ejusdem de hoc ipso argumento &  
questionibus eò facientibus*

DISSERTATIO.



Rintelij ad Visurgim,  
Excudit Petrus Lucius, Typographus Acad.

clō 1o ccll.



*Serenissimo atq; Celsissimo Principi*  
*ac Domino,*

DOMINO  
WILHELMO VI.  
HASSIÆ LANDGRAVIO  
Principi Hirsfeldiæ, Comiti Cattimeliboci,  
Deciarum, Zigenhainæ, Niddæ, Schaumburgi, &c.

NEC NON

*Illustrissimo Comiti ac Domino*  
DN. PHILIPPO,  
COMITI SCHAUMBURGI,  
LIPPIÆ ET STERNBERGÆ, &c.

*Dominis meis Clementissimis Salutem*  
*& Felicitatem.*

Sere-



PRÆFATIO.

Serenissime Princeps , Illu-  
strissime Comes, Domini Cle-  
mentissimi :



*V*amvis multihodie Chri-  
stianam, Religionem pro-  
fessi se jactent ut Christi  
membra ac proinde ejus  
coheredes dici cupiant , tamen pauci  
reperiuntur , qui seriò cogitent , qua-  
les esse oporteat eos , qui non nomine  
nudo , sed re ipsâ Christiani sint futu-  
ri. Pleriq; enim carni obsequium  
præstant , & ad mundi exempla se  
conformant , minimè vero Christi

A 2

sancti-

P R Æ F A T I O .

*Sanctimoniam pro exemplari sibi proponunt aut id agunt, ut nominis sui mensuram impleant. Ut ut verò tales per baptismum in Christianorum gregem sint recepti, nullatenus tamen pro veris Christianis aut possunt aut debent haberi, certè, quamdiu in ejusmodi vitâ permanent, frustra se aliquando cum Christo regnatos sperant. Neq; enim professio facit, verum Christi discipulum & coheredem, sed imitatio. Qui profitetur ore se Christi discipulum, ad illius virtutes oculos vertere easq; totis viribus emulari debet: alioqui frustra est omnino,*

PRÆFATIO.

*mnis illa professio. Id verò ut diximus, faciunt hodie perpauci. Adferam nunc exempli vicem unum duntaxat, quod tamen instar omnium meritò censeriqueat. Caritatem, quam totius esse legis completionem docet Apostolus, Servator mirum quò studiò, quà intentione, quàm assatim in totâ suâ vitâ expressit. Non vixit ille sibi, non sibi mortuus est, sed totû senostræ salutis, nostrisq; utilitatibus impendit. Beneficus enim fuit in omnes, nunquam convitium convitio, nunquam injuriam injuriâ retaliavit, sed in cruce fixus pro ijs, à quibus*

A 3

tot

PRÆFATIO.

tot convitijs, tot contumelijs ac injurijs affectus, imò à quibus, (horresco referens,) ad ipsam illam crucem per summum scelus fuerat raptus, patrè suum est deprecatus. Hæc est Evangelica & perfecta caritas, quam utiq; imitari fas est omnes, qui esse quàm dici malunt veri Christi discipuli. Unde ipse hic Servator noster morti, quâ nos redemit, vicinus; Ex hoc, inquit, omnes cognoscent, vos esse discipulos meos, si caritatē habueritis alii in alios. Quod proinde à priscis Christianis magno fervore semper observatum esse videmus. At quot sunt hodie, qui  
idem

PRÆFATIO.

idem faciant, adeoque; Servatoris sui  
vestigijs hîc ingrediantur? Quis ma-  
lefacta benefactis, quis iracundiam  
lenitate, quis maledicentiam benedi-  
centiâ, quis injuriam officio, non di-  
cam superare, sed quantum humana  
fert imbecillitas, saltim pensare con-  
tendit? Quis egenti fratri hodie suc-  
currit? Quis alienis ex damnis non  
sua potiùs comparare commoda,  
quàm proximo opitulari studet?  
Ut verbo dicam, plerique à Chri-  
sti præceptis & exëplo ita hodie pror-  
sus discedunt, ut nihil ferè ampliùs  
bonæ frugis proferant. Non possumus  
pro-

PRÆFATIO.

---

*perfectò de nobis hodie affirmare, quod de se & reliquis sui temporis Christianis olim ad gentiles scribere haud dubitavit Tertullianus: Nos ergo soli, inquit ille, innocentes? quid mirum si necesse est? Enim verò necesse est: innocentiam à DEO edocti, & perfectè eam novimus, ut à perfectò Magistro revelatam, & fideliter custodimus, ut ab in contemptibili dispectore mandatam. Quin potius ita eheu! vitam instituimus, ut infidelium conversionem flagitijs nostris non modò impediamus, sed tantùm non universam CHRISTI religionem*

PRÆFATIO.

---

nem ipsorum ludibrio exponamus. Quapropter valdè metuendum, ne vindicem DEI iram porrò in nos provocemus, & tandem penitùs ab ejus facie abjiciamur, nisi mores nostros emendemus & abnegatâ impietate & mundanis cupiditatibus, temperanter & justè & piè tandem vivere incipiamus. Quæ omnia rectè mecum considerans, equidem nullum majus Ecclesiæ & Reipublicæ munus afferre aut tempus rectius collocare

B care

PRÆEATIO.

care mihi videor, quàm si S. Theologiae studiosis in hac Academiâ Vestrâ doctrinam morum cum primis inculcem. Idigitur & feci hætenus & quamdiu vires ac vitam mihi divina bonitas largitur, deinceps, eâ quâparest, fide ac diligentia, sum facturum. Ut autem pluribus etiam extra Academiâ laboribus meis, quãtilli tandem hisint, in serviam, visum est nunc edere non solum S. Augustini de fide & operibus libellum, sed etiam meam hanc de eodem argumento dissertationem,



PRÆFATIO.

nem, quam fortè & aliæ imposte-  
rum subsequenter plures. Vobis  
verò, Serenissime Princeps & Il-  
lustrissime Comes, hoc quicquid  
est chartarum humillimè offe-  
rendum, consecrandumq; duxi,  
ut pro clementissimo illo affectu,  
quo me complecti hætenus non e-  
stis dedignati, publicè & quasi in  
oculis multorum agerem gra-  
tias. Quod factum ne displiceat,  
ea qua debeo animi submissione  
Vos rogo & obtestor. Deus Opt.  
Max. Vos, Clementissimi Do-  
mini, in Ecclesiæ & Reipublicæ

B 2

Sa.

PRÆFATIO

---

*Salutem quamdiutissimè servet  
ac sospitet. Dabam Rintbelij  
mense Junio M. DC. LII.*

SERENISSIMÆ  
ET  
ILLUSTRISSIMÆ

CELSITUDINUM VESTRARUM

*Devotissimus ac subjectissimus  
cliens & minister.*

Johannes Henichius S. Theo-  
logiæ D. & in Academiâ Vestrà  
Rintheliensi Professor.

DIVI



Divi Aurelii Augustini  
DE FIDE ET OPERIBUS.

LIBER

*Ex libro 2. Retractat. cap. 38.*

**N**terea missa sunt mihi à quibusdam fratribus laicis quidem, sed divinorum eloquiorum studiosis scripta nonnulla, quæ ita distinguerent à bonis operibus Christianam fidem, ut sine hac non posse, sine illis autem posse perveniri svaderetur ad æternam vitam. Quibus respondens librum scripsi, cujus nomen est De fide & operibus. In quo disputavi non solum quemadmodum vivere debeant gratia Dei regenerati, verum etiam quales ad lavacrum regenerationis admitti. Hic liber sic incipit :

B 3

CAPUT

*Contra eos qui omnes ad baptismum citra  
discrimem admittebant.*



Vibuscumdam videtur indiscretè omnes admittendos esse ad lavacrum regenerationis, quæ est in Christo, Jesu Domino nostro, etiam si malam turpemque vitam facinoribus & flagitiis evidentissimis notam, mutare noluerint, atque in eâ se perseveraturos aperta etiam confessione declaraverint. Verbi gratia, si quis meretrici adhæret, non ei prius præcipiatur ut ab ea discedat, & tunc veniat ad baptismum, sed etiam cum ea manens mansurumque se confitens seu etiam profitens Christi, etiam si membrum meretricis esse perstiterit: sed postea doceatur quàm sit hoc malum, jamque baptizatus de mutandis in melius moribus instruat. Perversum enim putant, atque præposterum prius docere quemadmodum debeat vivere Christianus, & deinde baptizari. Sed censent præcedere debere baptismi sacramentum, ut deinde sequatur vitæ morumque doctrina, quam si tenere & custodire voluerit, utiliter fecerit. Si autem noluerit, & retenta fide Christiana, sine qua in æternum periret, in quolibet scelere immunditiaque permanserit, saluum eum futurum tanquam perignem, velut qui ædificaverit super fundamentum quod est Christus, non aurum, argentum, lapides pretiosos: sed ligna, foenum, stipulam: i. e. non justos castosque mores, sed iniquos & impudicos. Ad hanc autem videntur disputationem impulsæ, quod eos noverint non admitti ad baptismum qui dimissis uxoribus alias duxerint, vel foeminas quæ dimis-

1. Cor. 6.  
v. 15.

1. Cor. 3.  
v. 11.

sis viris alius nuperint : quia hæc non conjugia, sed adulteria esse Dominus CHRIS T U S sine ulla dubitatione testatur. Cum enim negare non possent esse adulterium, quod veritas adulterium esse, sine ambage confirmat, eisque suffragari vellent ad accipiendum baptismum, quos hujusmodi laqueo, ita captos viderent, ut si non admitterentur ad baptismum, sine ullo sacramento mallent vivere vel etiam mori, quàm disrupto adulterij vinculo liberari humana quadam miseratione commoti sunt ad eorum causam suscipiendam, ut omnes cum eis facinorosos & flagitiosos, etiã nulla prohibitione correptos, nulla instructione correctos, nulla pœnitentia mutatos ad baptismum admittendos esse censerent : existimantes eos, nisi fieret, in æternum perituros : si autem fieret, etiam in illis malis perseverantes salvos per ignem futuros.

Matth. 19.

v. 19.

C A P U T II.

De corrigendis malis Christianis.

Quibus respondens hoc primum dico, ne quis ea testimonia scripturarum quæ commixtionem bonorum & malorum in ecclesia, vel præsentem indicant, vel futuram prænunciant, sic accipiat, ut disciplinæ sæveritatem siue diligentiam solvendam omnino atque amittendam, non illis edoctus literis, sed sua opinione deceptus existimet. Neque enim quia illam primi populi commixtionem Moyses Dei famulus patientissimè perfererat, ideo non in multos etiam gladio vindicavit. Et Phinees sacerdos adulteros simul inventos ferro ultore confixit. Quod utique de gradationibus & excommunicationibus significatum est esse faciendum in hoc tempore, cum in Ecclesiæ disciplina visibilis fuerat gladius cessaturus. Nec quia beatus Apostolus inter

Num. 25.

v. 7.

fallos

1. Corint.  
II. v. 18.  
Phil. I. v. 15  
1. Corint.  
v. 4.

1. Tim. I.  
v. 20.  
1. Corint.  
5. v. 9.

fallos fratres tolerantissimè congemiscit; quosdam etiam diabolicis invidenti & stimulis agitados, Christum tamen prædicare permittit: Ideo parcendum censet illi, qui uxorem patris sui habuit, quem præcepit congregata Ecclesia tradere satanæ in interitum carnis, ut Spiritus salvus fiat in Die Domini nostri Jesu Christi. Aut ideo ipse alios non tradidit Satanæ, ut discerent non blasphemare, aut frustra dicit: Scripsi vobis in epistola, non commisceri fornicarijs: non utique fornicarijs hujus mundi, aut avaris, aut raptoribus, aut idolis servientibus, alioquin debueratis de hoc mundo exissè: nunc autem scripsi vobis non commisceri, si quis frater nominatur aut fornicator, aut idolis serviens, aut avarus, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax: cum hujusmodi nec cibum quidem simul sumere. Quò enim mihi de ijs qui foris sunt judicare? Nonne de ijs qui intus sunt vos judicatis? De his autem qui foris sunt Deus judicabit. Auferte malum ex vobis ipsis. Ubi quidam quod dictum est, ex vobis ipsis, ita intelligunt, ut ex se ipso unusquisque auferat malum: hoc est, ut ipse sit bonus. Sed quomodolibet intelligatur, sive ut severitate Ecclesiæ mali ex communicationibus corripiantur, sive ut se quisque corripiendo & corrigendo à se ipso auferat malum: illud tamen quod supra dictum est, non habet ambiguitatem ubi præcepit non commisceri eis fratribus qui in aliquo supra dicto vitio nominantur, id est, noti famosique sunt.

## CAPUT III.

*Quomodo peccantes corripiendi?*

**Q**uo autem animo & qua Charitate misericors ista severitas adhibenda sit, non solum eo loco, ubi ait, ut Spiritus salvus sit in Die Domini nostri Jesu Christi: sed alibi quoque evidenter ostendit, dicens; Si quis non obaudit verbo no-

2. Theff. 3.  
v. 14.

bono

bo nostro, per epistolam hunc norate, & nolite commiseri cum eo, ut erubescat, & non ut inimicum eum existimetis, sed corripite ut fratrem. Et ipse Dominus exemplum singulari patientiæ, qua etiam in duodecim Apostolis usque ad passionem Diabolum pertulit, & qui ait: Sinite utraq; crescere usq; ad messem, ne forte cum vultis colligere zizania, simul eradicetis & triticum: retiaq; illa in similitudine Ecclesiæ usque ad luttus, hoc est, usque ad seculi finem bonos & malos pisces habitura prædixit: & cætera si qua de permixtione bonorum & malorum sive aperte sive per similitudines locutus est: Non ideo tamen omittendam censuit Ecclesiæ disciplinam: Imo verò admonuit adhibendum, quando ait: Attendite vobis: Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum. Si audierit te, lucratus es fratrem tuum. Si autem non audierit te, assume tecum unum vel duos, ut in ore testium duorum vel trium stet omne verum. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ: Si autem nec Ecclesiam audierit, sit tibi tanquam Ethnicus & publicanus. Deinde ipsius severitatis terrorem gravissimum adiecit, etiam eo loco dicens: Quæ solveritis in terra, soluta erunt & in cælo; Quæ ligaveritis in terra, ligata erunt in cælo. Prohibet etiam sanctum dari canibus. Nec contrarius est Apostolus Domino, quia dicit. Peccantes coram omnibus argue, ut cæteri timorem habeant: Cum ille dicat: Corripe eum inter te ipsum. Utrumq; enim faciendum est, sicut & infirmitatis diversitas admonet, eorum quos utique non perdendos, sed corrigendos curandosq; suscepimus, & alius sic, alius autem sic sanandus est: Ita etiam est ratio dissimulandi & tolerandi malos in Ecclesia, & est rursus ratio castigandi & corripiendi, non admittendi vel à communione removendi.

Ioan. 6.

v. 70.

Matth. 13.

v. 3.

Matth. 18.

v. 15.

Ibid. v. 18.

Matth. v. 6.

1. Tim. 5.

v. 10.

Matth. 18.

v. 15.

## De perperam intelligentibus scripturam.

**E**Rrant autem homines non servatens modum; & cum in unam partem procliviter ire cœperint, non respiciunt divinæ autoritatis alia testimonia, quibus possint ab illa intentione revocari, & in ea quæ ex utrisque temperata est veritate ac moderatione consistere. Nec in hac re tantum de qua nunc quæstio est, sed etiam in aliis multis: Nam quidem intuentes divinarum testimonia literarum, quibus unus Deus colendus insinuat, eundem patrem qui est filius, Sanctumq; Spiritum putaverunt. Alii rursus velut morbo contrario laborantes, cum attenderent ea quibus Trinitas declaratur, nec valerent intelligere quomodo sit unus Deus, cum & Pater non sit Filius, nec Filius sit Pater, nec Spiritus Sanctus aut Pater aut Filius diversitates etiam substantiarum asserendas putarunt. Quidam intuentes in scripturis Sanctæ Virginitatis laudem, connubia damnaverunt. Quidam rursus ea testimonia consecrantes quibus casta conjugia prædicantur, Virginitatem nuptijs æquaverunt. Quidam cum legerent: Bonum non est fratres manducare carnem, neq; bibere vinum: etiam nonnulla similia creaturarum Dei, & quas voluerunt escas immundas esse senserunt. Quidam vero legentes, omnis creatura Dei bona est, & nihil abjiciendum quod cum gratiarum actione accipitur, in voracitatem vinolentiamq; collapsi sunt, nec sibi valentes auferre vitia, nisi eis è contrario, vel tanta vel majora succederent. Sic etiam in hac causa quæ habetur in manibus, quidam intuentes præcepta severitatis, quibus admonemur corripere inquietos, non dare sanctum canibus, ut Ethnicum habere Ecclesiæ contemptorem, à compage corporis, membrum quod scandalizat,

Rom. 14.  
v. 21.

1. Tim. 4.  
v. 4.



dalizat, avellere : Ita perturbant Ecclesiæ pacem, ut conentur, ante tempus separare Zizania, atque hoc errore cœcati ipsi potius à Christi unitate separentur. Qualis nobis causa est adversus schisma Donati. Et hoc non cum illis qui noverunt Cæcilianum, non veris, sed calumniosis criminibus appetitum, & perniciosam sententiam suam mortifero pudore non deserunt, sed cum illis quibus dicimus, etiamsi mali fuissent propter quos in Ecclesia non estis, vos tamen eos ferendo quos emendare aut segregare minimè poteratis, in Ecclesia permanere debuistis. Quidam verò è contrario periclitantes, cum bonorum malorumq; permixtionem in Ecclesia demonstratam vel prædictam esse perspexerint, & patientiæ præcepta didicerint, (quæ ita nos firmissimos reddunt ut etiam si videtur in Ecclesia esse Zizania, non tamen impediatur aut fides aut charitas nostra, aut quoniam Zizania esse in Ecclesia cernimus, ipsi de Ecclesia recedamus) instituendam putant esse & Ecclesiam & disciplinam, ab destituendam putent, Ecclesiæ disciplinam. Quendam perversissimam securitatem præpositis tribuentes, ut ad eos non pertineat nisi dicere quid cavendum quidve faciendum sit, quodlibet autem quique faciat non curare.

## CAPUT V.

*Propter malos non recedendum ab Ecclesia.*

**N**OS verò ad sanam doctrinam pertinere arbitramur ex utrisque testimonijs vitam sententiamq; moderari, ut & canes in Ecclesia propter pacem Ecclesiæ toleremus, & canibus sanctum ubi pax Ecclesiæ tuta est, non demus. Cum ergo sive per negligentiam Præpositorum, sive per aliquam excusabilem necessitatem sive per occultas obreptiones invenimus in Ecclesia malos, quos Ecclesiastica disciplina

Marth. 7.

na corrigere aut coercere non possumus, tunc nec ascendat in cor nostrum impia & perniciosa præsumptio, qua existimemus nos ab his esse separandos, ut peccatis eorum non inquinemur, atque ita post nos trahere conemur veluti mundos sanctosque discipulos ab unitatis compage, quasi à malorum consortio segregatos. Veniant in mentem illæ de scripturis similitudines & divina oracula re certissima exempla, quibus demonstratum & prænunciatum est, malos in Ecclesia pexmixtos bonis usque in finem seculi tempusque iudicij futuros, & nihil bonis in unitate participatione sacramentorum qui eorum factis non consenserint ob futuros. Cùm vero eis per quos Ecclesia regitur, adest salva pace potestas disciplinæ adversus improbos aut nefarios exercendæ, tunc rursus ne socordia segnitiaque dormiamus, alijs aculeis præceptorum quæ ad severitatem coërtitionis pertinent, excitandi sumus, ut gressus nostros in via Domini ex utrisque testimonijs illo duce atque adjutore dirigentes, nec patientiæ nomine torpescamus, nec obtentu diligentia læviamus.

## CAPUT VI.

*Baptismus quando & quibus dandus?*

**H**Ac ergò secundum sanam doctrinam moderatione servata, videamus unde agitur, id est, utrum ad percipiendum baptismum sic admittendi sunt homines, ut nulla ibi vigilet diligentia, ne sanctum canibus detur: usque adeò ut nec apertissimi adulterij perpetratores & ejus perseverantiæ professores à sacramento tantæ sanctitatis videantur arcendi: quò sine dubio non admitterentur, si per ipsos dies quibus eandem gratiam percepturi, suis nominibus datis, abstinentia, jejunijs, exorcismisq; purgantur, cum suis legitimis & veris uxoribus se concubituros profiterentur, atque hujus rei quamvis alio tempore licita, paucis ip-  
sis

his solemnibus diebus nullam continentiam servaturos. Quomodo igitur ad illa sancta recusans correptionem adulter admittitur, quod recusans observationem non admittitur conjugatus? Sed prius, inquirunt, baptizetur: deinde doceatur quid ad bonam vitam moreq; pertineat. Fit hoc ubi quenquam forte dies urget extremus, ut ad verba paucissima, quibus tamen omnia continentur, credat, sacramentumq; percipiat, ut si ex hac vita migraverit, liberatus exeat à reatu præteritorum omnium peccatorum. Si autem sanus petit spacium discendi quæ discenda sunt, quod aliud opportunius tempus reperiri potest, quo audiat quemadmodum fidelis fieri ac vivere debeat, quàm illud cum attentiore animo atque ipsa religione suspenso saluberrimæ fidei sacramentum petit? An usq; adeò dissimulamus à sensibus nostris, ut vel nos ipsos non recordemur, quam fuerimus attentis atq; sollicitis, quid nobis præciperentur quibus catechizabamur, cum fontis illius sacramenta peteremus, atq; ob hoc competentes etiam vocaremur: vel non intueamur alios qui per annos singulos ad lavacrum regenerationis accurrunt, quales sint ipsis diebus, quibus catechizantur, exorcizantur, scrutantur, quanta vigilantia convenient? quo studio ferveant, qua cura pendeant? Si tunc tempus non est discendi, quæ vita congrua tanto quod accipere desiderant sacramento, quando erit? An vero cum acceperint, in tantis criminibus permanentes: etiam post baptismum, non novi homines, sed rei veteres: ut videlicet perveritate mirabili prius eis dicatur, induite hominem novum: & cum induti fuerint, postea dicatur, exuite veterem: cum Apostolus sanum ordinem tenens dicat: Exuite veterem, & induite novum: & ipse Dominus clamet, nemo assuit panum vestimento veteri, & nemo mittit vinum novum in utres veteres. Quid autem aliud agit

Colof. 3.

v. 10.

Matth. 9.

v. 15.

totum tempus quo catechumenorum locum & nomen tenent, nisi ut audiant quæ fides & qualis vita debeat esse Christianis : ut cum seipsos probaverint, tunc de mensa Domini manducant, & de calice bibant. Quoniam qui manducat indignè, iudicium sibi manducat & bibit. Quod autem fit per omne tempus, quod in Ecclesia salubriter constitutum est, ut ad nomen Christi accedentes catechumenorum gradus accipiant : hoc fit multo diligentius & instantius his diebus quibus competentes vocantur, cum ad percipiendum baptismum sua nomina jam dederunt.

## CAPUT VII.

*Baptizandos tam fidei opera quam fidem docendos.*

**Q**uid si, inquit, virgo nesciens viro nupsit alieno ? Hoc si semper nesciat, nunquam ex hoc erit adultera : si autem sciat, jam ex hoc esse incipiet, ex quo cum alieno viro sciens cubaverit. Sicut in jure prædiorum, tamdiu quisq; bonæ fidei possessor rectissime dicitur, quamdiu se possidere ignorat alienum : cum verò scierit, nec ab aliena possessione recesserit, tum malæ fidei perhibebitur, tunc justè injustus vocatur. Absit ergo ut sensu non humano, sed planè vano sic doleamus cum flagitia corriguntur, tanquam connubia dirimantur : maxime in civitate Domini, in monte sancto ejus, hoc est, in Ecclesia, ubi nuptiarum non solum vinculum, verum etiam sacramentum ita commendatur, ut non liceat viro uxorem suam alteri tradere : quod in repub. tunc Romana, non solum minimè culpabiliter, verum etiam laudabiliter Cato fecisse perhibetur. Neque hinc diutius modo disputare opus est, cum & illi quibus respondeo non audeant affirmare, nullum hoc esse peccatum, neque negent esse adulterium,

rium, ne ipsi Domino sanctoq; Evangelio aperte convincantur oblitere. Sed cum eis placet primum admittendos esse tales ad precipiendum baptismi sacramentum, & ad Dominicam mensam, etiamsi correptionem voce manifestissima recusaverint: Imo verò nihil eos de hac re profus admoneri oportere, sed postea doceri: ut si præcepti observationem receperint, culpamque correxerint, habeantur in tritico: Si autem contempserint, inter zizania tolerentur, satis ostendunt non se crimina ista defendere, aut quasi levia vel nulla sint agere. Quis enim adulterium bonæ spei Christianus nullum seu parvum crimen existimet? Ordinem tamen quo hæc in aliis vel corrigantur vel ferantur, de scripturis sanctis se proferre arbitrantur, cum dicant, Apostolos sic egisse: & de literis eorum quædam testimonia proferunt, ubi reperiuntur prius insinuasse doctrinam fidei, ac deinde morum tradidisse præcepta. Atque hinc intelligi volunt, fidei tantummodo regulam baptizandis esse intimandam: postea verò jam baptizatis etiam vitæ in melius mutandæ præcepta tradenda, quasi aliquas Apostolorum Epistolas legant ad eos qui baptizandi sunt datas, ubi de sola fide disputaverunt: & alias ad baptizatos, quibus præcepta de malis cavendis, bonisq; instituendis moribus continentur. Cum igitur eos ad Christianos jam Baptizatos dedisse literas constet, cur utroque sermone contextæ sunt, & eo scilicet qui ad fidem, & eo qui ad vitam bonam pertinet? An forte illis placet ut baptizandis utrumque non demus, & baptizatis utrumq; reddamus? Quod si absurdè dicitur, ergo fateantur Apostolos doctrinam suam ex utroque perfectam suis Epistolis indidisse. Sed procrepare plerumque insinuasse prius fidem, ac deinde quæ ad vitam bonam pertinet subiecisse, quia & in homine ipso nisi præcedat fides, vita bona sequi non poterit: quicquid enim homo ve-

luti

luti rectè fecerit, nisi ad pietatem quæ ad Deum est, referatur, rectum dici non oportet. Quod si arbitrarentur aliqui stulti & nimis imperiti, Apostolorum Epistolas ad catechumenos datas, profecto etiam ipsi faterentur, nondum baptizatis præcepta morum, quæ fidei congruant, simul cum fidei regulis intimanda: nisi forte ad hanc necessitatem sua nos isti disputatione compellunt, ut primas partes Epistolarum Apostolicarum ubi de fide loquuntur, catechumenis legendas velint: posteriores autem fidelibus, ubi jam præcipitur quemadmodum Christiani vivere debeant: quod stultissimum est dicere. Nullum ergo documentum est hujus opinionis ex Epistolis Apostolorum, cur ideo arbitremur baptizandos de sola fide, baptizatos autem de moribus admonendos, qui illi primis partibus literarum commendaverunt fidem, ac postea consequenter ut bene à fidelibus viveretur hortati sunt. Quavis enim illud prius, hoc posterius, sæpissimè tamen una contextione sermonis utrumque catechumenis, utrumque fidelibus, utrumq; baptizandis, utrumq; baptizatis, sive ut instruantur, sive ne obliviscantur, sive ut profiteantur, sive ut confirmentur doctrina sanissima & diligentissima, prædicandum est. Epistolæ itaque Petri & Epistolæ Johannis de quibus quædam testimonia commemorant, addant & Pauli & aliorum Apostolorum, ea ratione accipiendum est, quod adverterunt prius de fide, ac postea de moribus dici, quod, nisi fallor, apertissimè exposui.

## CAPUT VIII.

*Christianam vitam scire & agere ante baptismum necesse.*

**A**d. 1. v. 38 **S**ed in Actibus Apostolorum Petrus, inquit, sic allocutus est illos, qui verbo audito baptizati sunt uno die tria millia,

millia, ut eis solam fidem, qua in Christum crederent, prædica-  
ret. Qui cum dixissent, quid faciemus? Respondit eis, agi-  
te poenitentiam, & baptizetur unusquisque vestrum in no-  
mine Domini nostri Jesu Christi in remissionem peccatorum,  
& accipietis donum Spiritus Sancti. Cur ergo non advert-  
unt quod dictum est, agite poenitentiam? Ibi est enim vita  
veteris exportio, ut nova induantur qui baptizantur. Cui  
autem fructuosa est poenitentia, quæ agitur de mortuis ope-  
ribus, si in adulterio perseveret aliisque sceleribus, quibus di-  
lectio mundi hujus involvitur? Sed infidelitatis, inquit,  
tantummodo, quia in Christum non crediderunt, eos voluit  
agere poenitentiam. Mira præsumptio, nolo quicquam gra-  
vius dicere, quando eo audito quod dictum est, Agite poeni-  
tentiam, solius infidelitatis acta dicuntur, cum vita mutanda  
ex veteri in novam doctrinam Evangelica traderetur, ubi ut-  
rique & illud est quod in ea sententia ponit Apostolus, qui fura-  
batur jam non furetur: & cœtera, quibus exsequitur quid  
sit deponere veterem hominem & induere novum. In his  
autem ipsis verbis Petri habent unde admoneri potuissent, si  
diligenter attendere voluissent. Cum enim dixisset, Agite  
poenitentiam, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine  
Domini nostri Jesu Christi in remissionem peccatorum, &  
accipietis donum Spiritus Sancti: nobis enim hæc est facta  
promissio & filijs nostris, & omnibus qui sunt longè quos-  
cunquæ advocaverit Deus noster: Continuo subiecit qui li-  
brum scripsit atque ait: & cœteris verbis pluribus testificaba-  
tur dicens, eripite vos à seculo hoc pravo. At illi avidissimè  
capientes exceperunt verba & crediderunt & baptizati sunt &  
allectæ sunt illa die tria millia animæ. Quis hic nõ intelligat &  
cœteris pluribus verbis quæ à scriptore propter longitudinem  
non recitantur, id egisse Petrum, ut eriperent se ab hoc sæ-

Ephes. 4.  
v. 28.

Act. 1. v. 18

ibid. v. 41.

D

culo

culo pravo, quandoquidem ipsa sententia breviter indicata est, cui persuadenda verbis pluribus Petrus instabat? Ipsa quippe summa posita est, cum dictum est, eripite vos à sæculo hoc pravo. Verbis autem pluribus ut hoc fieret, testificabatur Petrus. In his verbis erat mortuorum operum condemnatio, quæ nequiter agunt hujus sæculi dilectores, & commendatio vitæ bonæ quam teneant atque sectentur, qui se ab hoc pravo sæculo eripiunt. Jam itaq; si placet, affirmare conentur, eum se eripere ab hoc sæculo pravo, qui tantummodo credit in Christum, etiamsi in flagitiis quibus voluerit perseveret usque ad professionem adulterij. Quod si dicere nefas est, audiant baptizandi, non solum qui credere debeant, sed etiam quemadmodum se ab hoc pravo sæculo eripiant. Ibi enim necesse est ut audiant, quemadmodum credentes vivere debeant.

## CAPUT IX.

*Baptismus spadonis, & quid sit evangelizare Christum?*

Spado, inquit, ille quem Philippus baptizavit, nihil plura dixit, quam, Credo Filium Dei esse Jesum Christum: & in hac professione continuo baptizatus est. Num ergo placet ut hoc solum homines respondeant, & continuo baptizentur: Nihil de Spiritu Sancto, nihil de sancta Ecclesia, nihil de remissione peccatorum, nihil de resurrectione mortuorum: Postremo de ipso Jesu Christo nihil nisi quia Filius Dei est, nõ de incarnatione ejus ex virgine, de passione, de morte crucis, de sepultura, de tertij diei resurrectione, de ascensione ac sede ad dextram Patris aliquid dicendum est carechizandi, ad profitendum credenti? Si enim Spado cum respondisset, credo Filium Dei esse Jesum Christum, hoc ei sufficere visum est, ut continuo



tinuò baptizatus abscederet: cur non id sequimur, atq; auferimus cætera quæ necesse habemus, etiã cum ad baptizandum temporis urget angustia, exprimere, interrogando ut baptizandus ad cuncta cum illo spadone baptizãdo Philippus egit, atq; in eo q̄ respondeat, etiam si ea memoriæ mandare non valuit? Si autem Scriptura tacuit atq; intelligenda admisit cætera quæ ait, baptizavit eum Philippus, intelligi voluit impleta omnia, quæ licet, taceantur in Scripturis gratia brevitatis, tamen serie traditionis scimus implenda: pari modo etiam in eo quod scriptum est evangelizasse Philippum spadoni Dominum, nullo modo dubitandum est, & illa in catechismo dicta esse quæ ad vitam moresque pertinent ejus qui credit in Dominum Jesum. Hoc est enim evangelizare Christum, non tantum dicere quæ sint credenda de Christo, sed etiam quæ observanda ei qui accedit ad compagem corporis Christi. Imo verò cuncta dicere quæ sunt credenda de Christo, non solum cujus sit filius, unde secundū divinitatē, unde secundū carnem genitus, quæ perpessus, & quare, quæ sit virtus resurrectionis ejus, quod donum Spiritus promiserit dederitque fidelibus: sed etiam qualia membra, quibus sit caput, quærat, instituat, diligit, liberet, atque ad æternam vitam honoremq; perducatur. Hæc cum dicuntur, aliquando brevius atque constrictius, aliquando latius & uberius Christus evangelizatur, & tamen non solum quod ad fidem, verum etiam quod ad mores fidelium pertinet, non prætermittitur.

## CAPIT X.

*Scire Christum crucifixum quid sit, quantaq;  
vicinitas dilectionis Dei & proximi:*

**H**oc intelligi potest etiam in eo quod commemorant dixisse Apostolum Paulum, nihil me dixi scire in vobis nisi

- nisi Christum Jesum, & hunc crucifixum. Quod illi putant ita dictum, tanquam nihil aliud eis insinuatum esset, nisi ut primitus crederent, ac deinde baptizati quicquid ad vitam moreſque pertinet discerent. Hoc, inquit, Apostolo satis superque suffecit, qui eis dixit, quòd etſi multos pædagogos haberent in Christo, sed non multos patres, quia eos in Christo Jesu per Evangelium ipse genuisset. Si ergo ille qui per Evangelium genuit, quamvis gratias agat quòd neminem ipſorum baptizaverit, nisi Cripſum & Cajum & Stephanæ domum, nihil eos amplius docuit quàm Christum crucifixum: quidſi dicat aliquis, nec surrexiſſe Christum eos audiviſſe quando per Evangelium geniti sunt? Unde est igitur quod eis dicit: Tradidi enim vobis imprimis, quia Jesus Christus mortuus est secundum scripturas, & quia sepultus est, & quia surrexit tertia die secundum scripturas, si nihil nisi crucifixum docuerat? Si autem non ita intelligunt, sed hoc quoque ad Christum crucifixum pertinere concedunt, ſciant in Christo crucifixo multa homines discere & maximè quod vetus homo noſter simul crucifixus est, ut evacuetur corpus peccati, & ultra non ſerviamus peccato. Unde etiam de ſe ipſo dicit:
- 1. Cor. 1.**  
**v. 14.**
- 1. Cor. 15.**  
**v. 3.**
- Rom. 6.**  
**v. 6.**
- Gal. 6. v. 14**
- 1. Petr. 4.**  
**v. 1.**
- Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Dñi noſtri, Jeſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus est & ego mundo. Proinde attendant & videant: quemadmodum doceatur atque diſcatur Christus crucifixus, & ad ejus crucem noverint pertinere, quod etiam nos in ejus corpore crucifigimur mundo. Ubi intelligitur omnis coërtio malarum concupiſcentiarum: ac per hoc fieri non poteſt, ut eis qui in cruce Chriſti informantur, profeſſa adulteria permittantur. Nam & Apoſtolus Petrus de ſacramento ipſius crucis, hoc eſt, paſſionis Chriſti, admonet, ut qui ea conſecrantur peccare deſiſtant, ita loquens: Chriſto ergo paſſo per carnem, & vos eadem cogitatione armami-

mamini : quia qui mortuus est carne desuit peccare, ut jam non hominum desiderijs, sed voluntate Domini Dei reliquum in carne vivat, & cætera. Quibus consequenter ostendit eum pertinere ad Christum crucifixum, hoc est per carnem passum, qui in ejus corpore crucifixus carnalibus desiderijs bene vivit per Evangelium. Quid, quod etiam duo illa præcepta, in quibus Dominus ait totam legem prophetasq; pendere, huic suæ opioni suffragari arbitrantur : & sic ea commemorant, ut quoniam primum præceptum dictum est : Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo & ex tota anima tua, & ex tota mente tua. Secundum autem simile huic : Diliges proximum tuum tanquam teipsum : primum pertinere ad baptizandum, ubi dilectio Dei præcipitur : secundum autem ad baptizandos, ubi videntur esse mores conversationis humanæ : Sic oblitri quod scriptum est, si fratrem quem vides non diligis, Deum quem non vides quomodo diligere poteris ? Est illud aliud in eadem Epistola Joannis, si quis diligit mundum, non est charitas patris in eo. Quo autem pertinent omnia flagitia morum malorum, nisi ad mundi hujus dilectionem ? Ac per hoc illud primum præceptum quod ad baptizandos pertinere arbitrantur, sine bonis moribus observari nullo pacto potest. Nolo pluribus immorari. Nam si diligenter consideratur, ista duo præcepta ita ex alterutro connexa reperiuntur, ut nec dilectio Dei possit esse in homine si non diligit Deum. Sed ad rem quæ nunc agitur, quod de his duobus præceptis diximus sufficit.

Matth. 22.  
 v. 40.

Deut. 6.  
 v. 5.

Levit. 19.  
 v. 18.

1. Joh. 4.  
 v. 20.

1. Iohan. 2.  
 v. 15.

## CAPUT XI.

## Exitus Israelitarum ex Aegypto quid

denotet.

**A**T enim populus Israel primum per mare rubrum ductus est, quo significatur baptismus, & postea legem accepit,

Exod. 14.  
 v. 21.

cepit, ubi disceret quemadmodum viveret. Cur ergo baptizandis vel Symbolum tradimus, reddendumque reposcimus? Nihil enim tale factum est erga illos, quos per mare rubrum Deus ab Ægyptijs liberavit. Si autem recte intelligunt hoc significari præcedentibus mysterijs de sanguine ovis postibus illito, & de azymis synceritatis & veritatis: cur non etiam illud consequenter intelligunt, ipsam ab Ægyptijs separationem significare discessionem à peccatis quam baptizandi profitentur? Ad hoc enim pertinet quod à Petro dictum, agite poenitentiam, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Domini nostri Jesu Christi: tanquam diceret, recedite ab Ægypto, & per mare rubrum transite. Unde & Epistola quæ ad Hebræos inscribitur, cum eorum qui baptizantur commemorarentur initia, posita est ibi poenitentia à mortuis operibus: sic enim dicit, ideoque remittentes initia Christi verbum, in consummationem respiciamus: non iterum jacentes fundamentum poenitentia à mortuis operibus, & fidei in Deum, lavacri Doctrina, impositionis manuum, resurrectionis etiam mortuorum & judicij æterni. Hæc igitur omnia pertinere ad initia neophytorum satis aperteq; scriptura testatur. Quid est autem à mortuis operibus poenitentia, nisi ab his quæ oportet mortificari ut vivamus: quæ si adulteria fornicationesque non sunt, quid jam inter opera mortua nominandum est? Sic autem non sufficit confessio recessione à talibus, nisi etiam lavacro regenerationis cuncta præterita quæ velut persequuntur peccata deleantur: sicut non sufficit Israelitis recedere ab Ægypto, nisi ea que insequeretur hostium multitudo ejusdem maris fluctibus interiret, qui Dei populo transituro liberandoque paruerunt. Qui ergo profiteretur ab adulterio nolle se mutare, quomodo per mare rubrum ducetur, cum ex Ægypto adhuc recuset abscedere? Deinde non attendunt

in ca

Act. 1. v. 38

Hebr. 6.  
v. 1.

in ea lege quæ post transitum maris rubri illi populo data est, primum esse præceptum, non erunt tibi alij Dij præter me, Exod. 10.  
v. 4. non facies tibi Idola, neque ullum simulacrum quæcunq; in cælo sunt sursum, & quæcunq; in terra deorsum, & quæcunq; in aqua & sub terra: non adorabis ea, neque servies eis: & cætera ad hoc præceptum pertinentia. Assirment isti itaq; si volunt contra ipsam suam assertionem, etiam de unius Dei cultu cavendaque idololatria, non adhuc baptizandis, sed jam baptizatis esse prædicandum: & non jam dicant, eis qui baptismum percepturi sunt, fidem tantum quæ in Deum est, inritandam: & post ejus sacramenti perceptionem de moribus vitæ tanquam de secundo præcepto eos quod ad dilectionem proximi pertinet, instruendos. Utrumque enim lex continet, quam post mare rubrum tanquam post baptismum populus accepit, nec ita facta est distributio præceptorum, ut ante illius maris transitum de cavenda idololatria plebs doceretur, & posteaquam transierunt audirent honorandum patrem & matrem, non mœchandum, non occidendum, & cætera bonæ atq; innocentis conversationis humanæ.

CAPUT XII.

*Num baptizandus, qui vitam impiam  
mutare nolit:*

**S**tergo ita quisque veniat ad sancti lavacri petitionem, ut sprofiteatur se ab idolorum sacrificijs non recessurum, nisi forte postea quando placuerit, baptismum tamen jam jamq; deponat, templumq; Dei vivi se fieri flagitet, non solum cultor idolorum, verum etiam in aliquo tam nefario sacrilegio perseverans: quæro ab istis utrum eum faciendum vel catechumenū censeant, quod proculdubio fieri non debere clamabunt. Neq; enim aliud de illo corde sentiendum est.

Red-

- Reddant itaq; rationem secundum testimonia scripturarum, quæ sic intelligenda putant quomodo huic audeant contradicere, nec admittendum esse confirmant reclamantem atq; dicentem : Didici & veneror Christum crucifixum, credo filium Dei esse Jesum Christum. Non me ultra differas, nihil amplius jam requiras. Quos per Evangelium generabat Apostolus, nihil eos nosse tunc amplius quam Christum crucifixum volebat. Post vocem spadonis qua se credere Jesum Christum filium Dei esse respondit, continuo Philippus eum baptizare non distulit. Quid me ab idolorum cultu prohibes, nec ad sacramentum Christi admittis, nisi prius inde discessero ? Illud à pueritia didici, consuetudine ibi gravissima premor, faciam cum potuero, cum commodum fuerit : quod etsi non faciam, non tamen sine Christi Sacramento hanc vitam finiam, ne Deus exigit animam meam de manibus tuis. Quid huic respondendum existimant ? An placet ut admittatur ? Absit, nullo modo crediderim in tantum eos progredi. Quid ergo respondebunt hæc dicenti, & addenti quod nihil sibi de idololatria reliquenda siltrem dici debuit ante baptismum, sicut nihil inde ante mare rubrum populus ille primus audivit, quoniam lex hoc habet quam ex Ægypto jam liberatus accepit. Profecto dicturi sunt homini, templum Dei futurus es, cum baptismum acceperis. Dicit autem Apostolus, quæ compositio templo Dei cum idolis ? Quare ergo non vident similiter esse dicendum, membrum Christi futurus es, cum acceperis baptismum. Non possunt membra Christi esse membra meretricis : quia & hoc Apostolus dicit alio loco, nolite, inquit, errare : neque fornicatores, neque idolis servientes, & cætera, quæ illic enumerat, regnum Dei possidebunt : Cur ergo ad baptismum idolis servientes non admittimus, & fornicatores admittendos putamus, cum & his

i. Cor. 4.  
v. 15.

A. & 3. v.  
37.

2. Cor. 6.  
v. 16.

i. Cor. 6.  
v. 9.

his, & cæteris malis dicat, & hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine Domini Jesu Christi & in Spiritu Dei nostri? Quid igitur causæ est, ut cum potestas pateat utrumque prohibendi, venientem ad baptismum permittam fornicarium permanere, & non permittam idolis servientem: cum & illis & illis dici audiam; Et hæc quidem fuistis, sed abluti estis? sed eò moventur isti, qui putant esse in tuto salutem eorum, quamvis per ignem qui in Christum crediderint, sacramentumque ejus acceperint: id est, baptizati fuerint, etiamsi morum corrigendorum ita negligentes sint, ut nequiter vivant. Unde mox videbo si Deus juverit, quid secundum scripturas sentiendum sit.

CAPUT XIII.

*Baptismum fidei opera precedant.*

**N**unc in hac quaestione adhuc versor, in qua eis videtur, baptizatos admonendos esse de moribus ad Christianam vitam pertinentibus, baptizandis autem solam insinuandam fidem. Quod si ita esset, præter tam multa, quæ diximus, non Joannes baptista venientibus ad baptismum suum diceret, generatio viperarum, qui ostendit vobis fugere ab ira ventura? Facite ergo fructum dignum poenitentia: Matth. 3. v. 7. & cætera, quæ utique non de fide, sed de bonis operibus admonet. Unde & militibus dicentibus, quid faciemus? Non Luc. 3. v. 10. dixit, interim credite & baptizemini, post audietis quid facere debeatis: sed ante dixit, ante præmonuit, ut venturo Domino in cor eorum tanquam præcurfor mundaret viam: Neminem concusseritis, nulli calumniam feceritis, sufficiat vobis stipendium vestrum. Similiter publicanis quærentibus quid facere deberent, nihil amplius, inquit, exigatis, præter quæ quod constitutum est vobis. His breviter commemoratis Evangelista,

E

gelista,

gelista, non enim totos catechizandos inserere debuit, satis significavit pertinere ad eum à quo baptizandus catechizatur, docere & monere de moribus. Quod si respondissent Joanni, prorsus non faciemus fructus dignos poenitentiae & calumniaturi, concussuri sumus, ea quae nobis non debentur, exacturi sumus, & nihilominus eos post hanc professionem baptizaret: nec sic tamen dici possit, unde modo quaestio est, non esse temporis cum quisque baptizandus est, ut prius illi sermo fiat quemadmodum vitam bonam agere debeat.

**Matth. 19.** **v. 16.** **Quid** ipse Dominus, ut alia omittam, cum ab eo dives ille quaereret, quid boni faceret ut vitam aeternam consequeretur? **recolant** quid responderit, si vis venire, inquit, ad vitam, serva mandata. At ille, quae? tunc Dominus commemoravit praecepta legis, non occides, non moechaberis, & caetera: Ubi cum ille respondisset haec se fecisse à juventute sua, addidit etiam perfectionis praeceptum, ut venditis suis omnibus & in pauperum elemosynis erogatis haberet thesaurum in caelo, & eundem Dominum sequeretur. Videant igitur non edictum esse ut crederet & baptizaretur, quo solo adjutorio putant isti venire hominem ad vitam: sed morum praecepta homini data, quae utique sine fide custodiri observarique non possunt: nec tamen quia hic de insinuanda fide Dominus videtur tacuisse, praescribimus nos atque contenti sumus, morum tantummodo praecepta dicenda esse hominibus ad vitam pervenire cupientibus. Utraque enim mutuo connexa sunt, sicut antè dixi: quia neque dilectio Dei, potest esse in homine qui non diligit proximum, nec dilectio proximi in eo qui non diligit Deum. Ideo aliquando alterum sine altero, sive illud, sive illud, pro plena doctrina invenitur scriptura commemorare, ut etiam hoc modo intelligatur alterum sine altero esse non posse: quia & qui credit Deo, debet facere quod

**Matth. 19.**  
**v. 16.**

**Luc. 18.**  
**v. 18.**



quod præcepit Deus, & qui propterea facit quia præcepit Deus, necesse est credat Deo.

## CAPUT XIV.

*Quod fides operibus destituta non sit salvifica fides.*

**Q**uare jam illud videamus, quod excutiendum est à cordibus religiosi, ne mala securitate salutem suam perdant, si ad eam obtinendam sufficere solam fidem putaverint, bene autem vivere & bonis operibus viam Dei tenere, neglexerint. Nam etiam temporibus Apostolorum non intellectis quibusdam subobscuris sententijs Apostoli Pauli, hoc cum quidam arbitrati sunt dicere, faciamus mala ut veniant bona: quia dixerat, lex subintravit ut abundaret delictum, ubi autem abundavit delictum, superabundavit gratia. Quod ideo verum est, quia legem accipientes homines qui de suis viribus superbissime præsumebant, nec divinum adjutorium vincendarum malarum concupiscentiarum recta fide impetrantes, pluribus gravioribusq; delictis etiam lege pravariata onerati sunt. Ac sic magno reatu compellente confugerunt ad fidem, qua misericordiam indulgentiæ mererentur, & auxilium à Domino qui fecit cælum & terram: ut diffusa per spiritum sanctum charitate in cordibus suis, cum dilectione agerent quæ contra sæculi hujus concupiscentias juberentur, secundum id quod prædictum fuerat in psalmo: Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt. Cum ergo dicit Apostolus arbitrari se justificari hominem per fidem sine operibus legis: non hoc agit, ut percepta ac professâ fide opera justitiæ contemnantur, sed ut sciat se quisque per fidem posse justificari etiamsi legis opera non præcesserint. Sequuntur enim justificatum, non præ-

Rom. 8.  
v. 8.Psal. 110.  
v. 2.  
Rom. 5.  
v. 5.Psal. 115.  
v. 4.

Rom. 5. v. 1

cedunt justificandum. Unde in presenti opere non opus est latius disputare, præsertim quia modo de hac quæstione prolixum librum edidi, qui inscribitur, De litera & Spiritu. Quoniam ergo hæc opinio tunc fuerat exorta, aliæ Apostolicæ Epistolæ, Petri, Joannis, Jacobi, Judæ, contra eam maximè dirigunt intentionem, ut vehementer astruant fidem sine operibus nihil prodesse: sicut etiam ipse Paulus, non quamlibet fidem, qua in Deum creditur, sed etiam salubrem planeque Evangelicam definivit, cujus opera ex dilectione pro-

**Gal. 5. v. 6.** cedunt: Et fides, inquit, quæ per dilectionem operatur. Unde illam fidem quæ sufficere ad salutem quibusdam videtur,

**1. Cor. 13. v. 1.** ita nihil prodesse asseverat, ut dicat: Si habeam omnem fidem, ita ut montem transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum. Ubi autem hæc fidelis charitas operatur,

**Rom. 13. v. 10.** sine dubio bene vivitur. Plenitudo enim legis charitas. Unde evidenter in secunda Epistola Petrus, cum ad vitæ & morum sanctitatem hortaretur, mundumq; istum transitorium præ-

nunciaret, cælos verò novos & terram novam expectari quæ justis inhabitanda tradetur, ut ex hoc attenderent, qualiter eos oporteret vivere ut habitatione illa digni fierent, sciens de Apostoli Pauli quibusdam sub obscuris sententiis nonnullos iniquos accepisse occasionem, ut tanquam securi de salute quæ in fide est, bene vivere non curarent, commemoravit quædam ad intelligendum difficillima esse in Epistola ejus, quæ homines perverterent, sicut & alias Scripturas, ad proprium suum interitum: cum tamen & ille Apostolus de salute æ-

**2. Pet. 3. v. 11.** terna, quæ nisi bene viventibus non daretur, eadem sentiret, quæ cæteri Apostoli. Sic itaque Petrus, his ergo, inquit, hominibus pereuntibus, quales oportet vos esse in sanctis conversationibus & pietatibus, expectantes & properantes ad præsentiam diei Domini per quam cæli ardentes solventur,

& ele-

& elementa ardore ignis decoquentur : novos verò coelos & terram novam secundum promissa ipsius expectamus, in quibus iustitia habitat. Quapropter charissimi hæc expectantes satagite inviolati & immaculati apud eum reperiri in pace: & Domini nostri patientiam salutem existimate : sicut & dilectissimus frater noster Paulus, secundum eam quæ data est illi sapientiam, scripsit vobis, ut & in omnibus Epistolis, loquens in eis de his, in quibus sunt difficilia quædam intellectus, quæ indocti & instabiles pervertunt, sicut & cæteras scripturas, ad proprium suum interitum. Vos igitur amantissimi præscientes, cavete ne in falsorum errorem seducti decidatis à corroboratione vestra : crescite verò in gratia & intellectu Domini nostri & salvatoris Jesu Christi : Ipsi gloria, & nunc & in Die aternitatis. Jacobus autem tam vehementer infestus est eis qui sapiunt fidem sine operibus valere ad salutem, ut illos etiam dæmonibus comparet dicens, tu credis quoniam unus est Deus benefacis, & dæmones credunt & contremiscunt. Quid verius, brevius, vehemētius dici potuit, cum & in Evangelio legamus hoc dixisse dæmonia, cum Christū Filium Dei confiterentur & ab illo corripentur, quod in Petri confessione laudatum est ? Quid proderit, ait Jacobus, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat ? Nunquid poterit fides salvare eum ? Dicit etiam, quia fides sine operibus mortua est. Quousque igitur falluntur, qui fide mortua sibi vitam perpetuam pollicentur ?

Jacob. 2.

v. 43.

Marc. 1.

v. 23.

Marth. 16.

v. 17.

Iac. 2. v. 14.

Ibid. v. 26.

## CAPUT XV.

*Opera cum fide requiri in iis, qui ad salutem  
pervenire volunt.*

**Q**Vapopter diligenter oportet attendere, quomodo accipienda sit Apostoli Pauli illa sententia plane ad intelligendum

- i. Cor. 3.** gendum difficilis, ubi ait, fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus. Si quis autem superædificat super fundamentum, aurum, argentum, lapides preciosos, ligna, fœnum, stipulam, uniuscujusque opus manifestabitur: dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur, & uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit. Si cujus opus permanferit, quod superædificavit, mercedem accipiet: si cujus autem opus arserit, damnum patietur, ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem. Quod quidam ita intelligendum putant, ut illi videantur ædificare super hoc fundamentum aurum, argentum, lapides preciosos, qui fidei quæ in Christo est bona opera adjiciunt: illi autem fœnum, ligna, stipulam, qui cum eandem fidem habeant, male operantur. Unde arbitrantur per quasdam pœnas ignis eos posse purgari ad salutem percipiendam merito fundamenti. Hoc si ita est, fatemur istos laudabili charitate conari ut omnes indiscretè admittantur ad baptismum, non solum adulteri & adulteræ contra sententiam Domini falsas nuptias prætendentes verum etiam publicæ meretrices in turpissima professione perseverantes, quas certe nulla etiam negligentissima Ecclesia consuevit admittere, nisi ab illa primitus prostitutione libertatus. Sed ista ratione cur non omnimodo admittantur, omnino non video. Quis enim non malit eas posito fundamento, licet ligna, & fœnum, & stipulam congerant, aliquanto certè diuturniore igne purgari, quam in æternum perire? Sed falsa erunt illa quæ obscuritatem ambiguitatemque non habent, si habeam
- i. Cor. 15.** omnem fidem ita ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum. Et quid proderit fratres mei si fidem dicat se quis habere, opera autem non habeat, nunquid poterit fides salvare eum? Falsum erit & illud, nolite errare: neque
- v. 11.**
- v. 1.**
- Iac. 2. v. 14.**

neque fornicatores, neque idolis servientes, neque adulteri, 1. Cor. 6. v. 9.  
 neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt. Falsum est & illud, manifesta Gal. 5. v. 19.  
 sunt opera carnis, quæ sunt fornicationes, immunditia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitia, contentiones, æmulationes, animositates, dissensiones, hæreses, invidiæ, ebrietates, commestationes, & his similia, quæ prædico vobis sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. Falsa erunt hæc. Si enim tantummodo credant & baptizentur, quam in malis talibus perseverent, salvi erunt per ignem: atque ideo in Christo baptizati etiam qui talia agunt, regnum Dei possidebunt. Frustra autem dicitur, & hæc quidem fuistis, sed abluti estis, quando & abluti hæc sunt. 1. Cor. 6. v. 11.  
 Inaniter etiam illud à Petro dictum videbitur: Sic & vos simili forma baptismi salvos fecit, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio: siquidem & habentes pessimas conscientias, omnium flagitiorum & scelerum plenas, nec eorum malorum pœnitentia mutatas, tamen baptismi salvos facit: Propter fundamentum enim quod in eo baptismate ponitur, licet per ignem, salvi erunt: 1. Pet. 3. v. 21.  
 Illud quoque non video cur Dominus dixerit, si vis venire ad vitam, serva mandata: & commemoravit ea quæ ad bonos mores pertinent, si etiam his non servatis ad vitam venire potest per solam fidem, quæ sine operibus mortua est. Matth. 19. v. 17.  
 Illud deinde quomodo verum erit, quod eis quos ad sinistram positurus est, dicet, ite in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & angelis ejus: nec increpat quia in eum non crediderunt, sed quia bona opera non fecerunt? Nam profecto ne sibi quisquam de fide, quæ sine operibus mortua est, promittat æternam vitam: propterea omnes gentes segregaturum se di-

- se dixit, quæ permixtæ eisdem pascuis utebantur, ut appareat eos illi dicturos, Domine, quando te vidimus illa & illa patientem, & non ministravimus tibi ? qui in eum crediderant, sed bona operari non curaverant, tanquam de ipsa fide mortua ad vitam perveniretur æternam. An forte ibunt in ignem æternum, qui opera misericordiæ non fecerunt : & non ibunt qui aliena rapuerunt, vel corrumpendo in se templum Dei, in seipsos immisericordes fuerunt : quasi opera misericordiæ profint aliquid sine dilectione, dicente Apostolo,
- Math. 25.**  
**v. 37.** Si distribuam omnia mea pauperibus, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest ? Aut diligat quisquam proximum sicut seipsum, qui non diligit seipsum ? Qui enim diligit iniquitatem, odit animam suam. Neque illud dici hic poterit, in quo nonnulli seipsos seducunt, ignem æternum dictum, non ipsam combustionem æternam. Per ignem quippe qui æternus erit, transituros arbitratur eos, quibus propter fidem mortuam per ignem promittunt salutem : ut videlicet & ipse ignis æternus sit, combustio vero eorum, hoc est operatio ignis, non sit in eos æterna : cum & hoc prævidens dominus, sententiam suam conclusit ita dicens : Sic ibunt illi in combustionem æternam, iusti autem in vitam æternam. Erit ergo æterna combustio sicut ignis, & eos in illam ituros veritas dicit, quorum non fidem, sed bona opera defuisse declaravit. Si ergo hæc omnia, & cætera quæ innumerabilia per omnes scripturas sine ambiguitate dicta reperiri possunt, falsa erunt :
- 1. Cor. 3.**  
**v. 12.** Poterit verus esse ille intellectus de lignis & fœno & stipula, quod hi salvi erunt per ignem, qui solam in Christum fidem tenentes bona opera neglexerunt. Si autem ista & vera & clara sunt, proculdubio in illa Apostoli sententia alius requirendus est intellectus : atq; in his deputanda est, quæ Petrus dicit esse in scriptis ejus quædam difficilia intellectu : quæ non debent
- 2. Pet. 3.**  
**v. 16.**

debent homines pervertere ad proprium suum interitum, ut contra evidentissima testimonia scripturarum securos faciant de percipienda salute nequissimos, nequitiae suae pertinacissime coherentes, nec emendando aut poenitendo mutatos.

## CAPUT XVI.

*Interpretatio loci Paulini.*

**H**ic à me fortasse quaeratur de ipsa Pauli Apostoli sententia quid ego sentiam, & quonam modo intelligendam putem. Fateor hic me malle audire intelligentiores 1. Cor. 3. atq; doctiores, qui sic eam exponant, ut illa omnia vera & inconcussa permaneant, quae supra commemoravi, & quaecunque alia non commemoravi: quibus apertissime scriptura Gal. 1. v. 6. testatur, nihil prodesse fidem, nisi eam quam definivit Apostolus, id est quae per dilectionem operatur: sine operibus autem salvare non posse, neque praeter ignem, neque per ignem, quia si per ignem salvat, ipsa utique salvat. Absolu- Iac. 2. v. 14 te autem dictum est & aperte; Quid prodest si dicat fidem se habere, opera autem non habet, nunquid poterit fides salvare eum? Dicam tamen quam brevissime potero etiam ipse quid sentiam de illa Apostoli sententia ad intelligendum difficili, dummodo illud quod ad meam promissionem attinet, praecipue teneatur, quod de hac me malle dixi audire meliores. Fundamentum Christus in structura architecti sapientis, hoc expositione non indiget. Aperte enim dictum est, 1. Corinc. 5. v. 11. fundamentum enim aliud nemo potest ponere praeter id quod positum est, quod est Christus Jesus. Si autem Christus, proculdubio fides Christi: Per fidem quippe habitat in Ephes. 3. v. 17. cordibus nostris, sicut idem Apostolus dicit. Porro fides Christi illa est utique, quam definivit Apostolus, quae per dilectionem

- Iac. 2. v. 19 lectionem operatur. Non enim fides illa demonum, cum  
 & ipsi credant & contremiscant, & Filium Dei confiteantur  
 Jesum, potest accipi in fundamentum. Quare? nisi quia  
 non est fides quæ operatur per dilectionem, sed quæ exprimi-  
 tur per timorem. Fides itaque Christi, fides gratiæ Christia-  
 næ: id est, ea fides quæ per dilectionem operatur, posita in  
 fundamento, neminem perire permittit. Sed quid sit ædi-  
 ficare super hoc fundamentum, aurum, argentum, lapides  
 preciosos, & ligna, foenum, stipulam: Si subtilius disserere co-  
 ner, vereor ne ad intelligendum difficilior sit ipsa expositio.  
 Enitar tamen quantum Dominus adjuvat, & breviter, & quæ-  
 tum potero dilucidè expedire quod sentio. Ecce ille qui quæ-  
 sivit à magistro bono quid boni faceret, ut haberet vitam æ-  
 ternam, & audivit, si ad vitam venire vellet, servanda sibi esse  
 mandata. Et cum quæreretur, Quæ mandata, dictum est ei,  
 Non occides, non moechaberis, non furtum facies, non fal-  
 sum testimonium dices, honora patrem tuum & matrem  
 tuam: & diliges proximum tuum tanquam teipsum, ut hæc  
 faciens, fidem Christi teneret: & proculdubio fidem, quæ  
 per dilectionem operatur. Neque enim diligeret proximum  
 tanquam seipsum, nisi recepta dilectione Dei, sine qua non  
 diligeret seipsum. Porro si faceret etiam quod Dominus addi-  
 dit, dicens, si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes,  
 & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni seque-  
 re me: ædificaret super illud fundamentum, aurum, argen-  
 tum, lapides preciosos: non enim cogitaret nisi quæ sunt  
 Dei quomodo placeret Deo: & hæc cogitationes sunt, quan-  
 tum existimo, aurum, argentum, lapides preciosi. Porro si  
 circa divitias suas quòdam carnali teneretur affectu, quamvis  
 ex eis multas elemosynas faceret, nec ad eas augendas frau-  
 dis aliquid rapinæ quæ moliretur, aut earum minuendarum,  
 vel



vel amittendarum metu in aliquod facinus flagitiũve laberetur, alioquin jam se isto modo ab illius fundamenti stabilitate subtraheret: sed propter carnalem, ut dixi, quem in eis habebat affectum, quo talibus bonis sine dolore carere non posset, ædificaret super fundamentum illud fœnum, ligna, stipulam: maxime si & uxorem sic haberet, ut etiam propter ipsam cogitaret ea quæ sunt mundi, quomodo placeret uxori. Hæc igitur quoniam affectu dilecta carnali, non sine dolore amittuntur, propterea qui sic ea habent, cum habeant in fundamento fidem, quæ per dilectionem operatur, neq; huic ista ulla ratione vel cupiditate præponant, in eorum amissione passi detrimentum, per ignem quendam doloris perveniunt ad salutem. A quo dolore atque detrimento tanto est quisq; securior, quanto ea vel minus amaverit, vel tanquam non habens habuerit, qui verò propter illa vel tenenda vel adipiscenda homicidium, adulterium, fornicationem, idololatriam & similia quæq; commiserit, non propter fundamentum per ignem salvabitur, sed amisso fundamento æterno igne torquetur. Quamobrem & illud quod dicunt veluti probare cupientes, quantum valeat sola fides, ubi Apostolus dicit: Quod si infidelis discedit, discedat: non est enim ser-

1. Cor. 7.  
v. 15.

vituti subiectus frater vel soror in huiusmodi: id est, ut propter fidem Christi etiam ipsa uxor legitima societate, conjuncta, sine ulla culpa relinquatur, si cum viro Christiano propter hoc quod Christianus est, permanere noluerit: non attendunt eo modo illam rectissime dimitti si viro suo dicat, non ero uxor tua, nisi mihi de latrocinio divitias congeras, aut nisi solita lenocinia, quibus nostram domum transigebas, etiam Christianus exerceas: aut si quid aliud vel facinosum vel flagitiosum in viro noverat, quo delectata vel libidinem explebat, vel facile victum habebat, vel etiam incedebat or-

- nator. Tunc enim ille, cui hoc uxor dicit, si veraciter egit
- Gal. 7. v. 6.** poenitentiam ab operibus mortuis, quando accessit ad baptismum, habetque in fundamento fidem, quæ per dilectionem operatur, proculdubio plus tenebitur amore divinæ gratiæ,
- Matth. 18. v. 8.** quam carnis uxoriæ: & membrum quod eum scandalizat, fortiter amputat: quemcumque autem in hac diremptione dolorem cordis propter carnalem affectum conjugis sustinebit, hoc est detrimentum quod patietur: hic est, ignis per quem sceno ardente ipse salvabitur. Si autem jam sic habeat uxorem tanquam non habens, non propter concupiscentiam, sed propter misericordiam, ne forte eam salvam faceret, reddens potius quam exigens debitum conjugale: profectò nec dolebit carnaliter, cum ab illo tali conjugio separabitur: neque
- 1. Cor. 7. v. 32.** enim in Deo cogitabat, nisi quæ sunt Dei, quomodo placeret Deo. Ac per hoc in quantum aurum, argentum, lapides preciosos cogitationibus illis superædificat, in tantum detrimentum nullum pateretur, in tantum structura ejus, quæ non erat scænea, nullo incendio cremaretur. Sive ergo in hac vita tantum homines ista patiuntur, sive etiam post hanc vitam talia quædam judicia subsequuntur, non abhorret, quantum arbitror, à ratione veritatis iste intellectus hujus sententiæ. Veruntamen etiamsi est alius qui mihi non occurrit potius eligendus, istum quamdiu tenemus, non cogimur dicere injustis, non subditis, scelestis, contaminatis, parricidis, matricidis, homicidis, fornicatoribus, masculorum concubitoribus, plagiaris, mendacibus, perjuris, & si quid aliud sanæ doctrinæ adversatur, quæ est secundum Evangelium gloriæ beati Dei: si tantummodo in Christum credatis & sacramentum baptismi ejus accipiatis, etiamsi vitam istam pessimam non mutaveritis, salvi eritis. Unde nec illa nobis mulier Chananæ præscribit, quia
- Matth. 15. v. 26.** Dominus ei quod petebat dedit, cum antè dixisset, Non est bonum tollere

tollere panem filiorum & mittere canibus : quia ille cordis inspector mutatam vidit quam laudavit, & ideo non ait, O canis magna est fides tua : sed, O mulier magna est fides tua. Mutavit vocabulum, quia mutatum vidit affectum, atque illam correptionem ad fructum pervenisse cognovit. Miror autem si laudaret in ea fidem sine operibus : id est, fidem non talem quæ per dilectionem jam possit operari, sed fidem mortuam : & quod Iacobus dicere minimè dubitavit, fidem non Christianorum, sed dæmonum. Postremò si istam Chananæam nolunt intelligere mutasse perditos mores, quando eam Christus contemnendo & corripiendo redarguit, quoscumque invenerint tantummodo credere, vitam vero iniquitissimam nec saltem occultare, sed etiam liberè profiteri, ac nolle mutare, sanent filios eorum, si possunt, sicut sanata est filia Chananææ mulieris : non tamen eos faciant membra Christi, cum ipsi esse non desinant membra meretricis. Illud sanè non absurdè intelligunt eum peccare in Spiritum sanctū, & esse sine veniâ reum æterni peccati, qui usque in finem vitæ noluerit credere in Christum : sed si rectè intelligerent, quid sit credere in Christum. Non enim hoc est habere dæmonum fidem, quæ rectè mortua perhibetur, sed fidem, quæ per dilectionem operatur.

Iacob. 2.

v. 20.

Gal. 5, v. 6.

## CAPUT XVII.

*Obsinati in peccatis, num merito à baptismo repellantur.*

Quæ cum ita sint, quando tales ad baptismum non admittimus, non ante tempus Zizania evellere conamur, sed nolumus insuper sicut diabolus Zizania feminare : nec ad Christum volentes venire prohibemus, sed eos ad Christum

F 3

venire

- venire nolle, ipsa sua professione convincimus: nec veramus Christo credere, qui vel adulterium dicunt non esse quod ille adulterium dicit esse: vel credunt adulteros ejus membra posse esse, quos per Apostolum dicit regnū Dei non possidere: & sanè doctrinæ adversari, quæ est secundum Evangelium gloria beati Dei. Unde non sunt isti inter eos deputandi, qui ad convivium nuptiarum venerunt, sed inter eos qui venire noluerunt. Cū enim ipsi doctrinæ Christi audent apertissimè contradicere, & sancto adversari Evangelio, nequaquam venientes repelluntur, sed venire contemnunt: qui autem seculo saltem verbis, etiamsi non factis renunciant, veniunt quidem & inter triticum seminantur, & in area congeruntur, & ovibus aggregantur, & retia subeunt, & convivantibus admiscuntur: sed intus sive lateant, sive pateant, tunc erit ratio tolerandi, si potestas nulla est corrigendi, nec debet esse præsumptio separandi. Absit autem ut sic intelligamus quod scriptum est, ad convivium nuptiarum adductos, quos invenerunt bonos & malos, ut eos adduxisse credantur, qui se malos perseveraturos professi sunt. Alioquin ipsi servi patrisfamilias Zizania seminaverunt, falsumq; erat illud, inimicus autem quia ea seminat, diabolus est. Sed quia hoc falsum esse non potest, adduxerunt servi bonos & malos, sive qui laterent, sive qui jam adducti & intromissi apparerent: sive bonos & malos, dictum est secundum quandam humanam conversationem, in qua etiam ij qui nondum crediderunt, vel laudari vel vituperari solent. Unde est etiam illud quod Dominus monet discipulos, quos ad Evangelium prædicandum primitus mittit, ut in quamcunque venerint civitatem, quærant quis illic dignus sit, ut apud eum habitent donec inde proficiantur. Profecto ille dignus quis erit, nisi qui existimatione suorum civium bonus habebitur? & quis indi-

1. Cor. 6.

v. 9.

1. Tim. 1.

v. 11.

Luc. 14. v.

16.

Matth. 22.

v. 2.

Luc. 14.

v. 21.

Matth. 13.

v. 28.

Matth. 10.

v. 11.

indignus, nisi qui eis malus innotuerit? Ex hoc utroque genere veniunt ad Christi fidem, & sic adducuntur boni & mali, quia & illi mali à mortuis operibus poenitentiam non recusant, si autem recusant, non intrare cupientes repelluntur, sed ab introitu ipsi apra contradictione discedunt. Erit ergo & servus ille securus, nec inter pigros damnabitur, quod dominicum talentum noluit erogare, quandoquidem illi noluerunt quod erogabat accipere. Propter illos enim hæc similitudo propofita est, qui nolunt suscipere in Ecclesia dispensatoris officium, desidiosam prætendentes excusationem, nolle se rationem reddere de peccatis alienis; qui audiunt & non faciunt, id est, accipiunt & non reddunt. Cum verò dispensator fidelis & diligens, in erogando paratissimus, & lucrorum dominicorum avidissimus, dicit adultero, noli esse adulter, si vis baptizari: crede Christo, qui hoc quod facis dicit esse adulterium, si vis baptizari: noli esse membrum meretricis, si vis fieri membrum Christi: ille autem respondet, non obedio, non facio, ipse non vult veram pecuniam dominicam accipere, sed suam potius adulterinam vult thesauris dominicis importare. Si autem se facturum profiteretur, nec faceret, nec postea quolibet modo corrigi possët, inveniretur quid de illo fieret, ne alijs inutilis esset, qui sibi utilis esse non possët: ut si intra retia Domini bona piscis malus esset, non tamen pisces Domini suis malis retibus irretiret: hoc est, ut si haberet in Ecclesia vitam malam, non tamen illic institueret doctrinam malam. Cum enim tales facta sua talia defendunt, vel in eis se perseveraturos apertissimè profitentes admittuntur ad baptismum, nihil videntur aliud prædicare, nisi fornicatores & adulteros, etiam usq; in vitæ hujus finem in ea nequitia permanentes, regnum Dei possessuros, & merito fidei, quæ sine operibus mortua est, ad vitam æternam salutemque venturos.

Matth. 25.  
v. 18.

Iac. 2. v. 20

ros.

Marth. 4.  
v. 19.

ros. Hæc sunt mala retia, quæ cavere debent præcipuè piscatores, si tamen illa Evangelica similitudine piscatores. Episcopi, vel inferioris ordinis Ecclesiarum præpositi intelligendi sunt : quia dictum est, venite, & faciam vos piscatores hominum. Retibus enim bonis capi possunt pisces & boni & mali, retibus autem malis capi non possunt pisces boni. Quoniam in doctrina bona & bonus potest esse, qui audit & facit, & malus qui audit & non facit : in doctrina verò mala, & qui eam veram putat, quamvis ei non obtemperet, malus est : & qui obtemperat, pejor est.

## CAPUT XIIX.

*Prohiberi malos à baptismo, non novum.*

**I**llud sanè mirabile est, quod fratres qui aliter sapiunt, cum debeant ab ista vel nova vel vetere, perniciosâ tamen opinione discedere, ipsi insuper dicunt novam esse doctrinam, qua nequissimi homines in suis flagitijs se perseveraturos in propatulo profitentes, non admittuntur ad baptismum: quasi nescio ubi peregrinentur, quando meretrices & histriones & quilibet alij publicæ turpitudinis professores, nisi solutis aut diruptis talibus vinculis, ad Christi sacramenta non permittuntur accedere : qui utiq; secundum istorum sententiam omnes admitterentur, nisi antiquum & robustum morem sancta Ecclesia retineret, ex illa scilicet liquidissima veritate venientem qua certum habet, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. Et nisi egerint ab his mortuis operibus poenitentiam, accedere ad baptismum non sinuntur. Si autem subreperint, nisi vel postea mutati egerint poenitentiam, salvi esse non possunt. Sed ebriosi, avari, maledici, & si qua alia vitia damnabilia apertis factis convinci redargui-

Gal. 5. v. 21  
1. Cor. 6.  
v. 9.

darguiq; non possunt, præceptis tamen & catechismis validissime flagellantur, atq; omnes tales mutata in melius voluntate, ad baptismum videntur accedere. Sed si fortè adulteros, quos non lex humana, sed divina condemnat, id est, qui alienas uxores tanquam suas habent, vel foeminae alienos maritos, alicubi negligentius admitti solere adverterunt, ex illis rectis debent conari ista corrigere: hoc est, ut etiam isti non admittantur: non ex his pravis illa recta depravare, ut neque de morum correctione catechizandos esse censeant competentes: & consequenter omnes etiam illarum publicarum turpitudinum & scelerum professores, hoc est meretrices, lenones, gladiatores, ac si quid hujusmodi est, etiam in illis malis permanentes, admitti oportere arbitrentur. Omnia quippe illa quæ Apostolus enumerat, concludens, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt: qui vehementius agunt, manifestata sibi congruenter increpant, & resistentes atque in eis se permanuros profitentes, ad accipiendum baptismum non admittunt.

Exodi 20.

Gal. 5. v. 21

1. Cor. 6.

v. 9.

## CAPUT XIX.

*Non tantum ob tria flagitia licere excommunicare.*

QUI autem opinantur & cætera eleemosynis facile compensari, tria tamen mortifera esse non dubitent excommunicatione punienda, donec poenitentia humiliore sanentur, impudicitiam, idololatriam, homicidium. Neq; nunc opus est quærere qualis sit eorum ista sententia, & utrum corrigenda an approbanda, ne opus susceptum mittamus in longum, propter eam quæstionem, quæ huic absolvendæ minime necessaria est. Sufficit enim, quia si omnia non admittenda ad baptismi sacramentum, inter hæc omnia est a-

G

dult-

adulterium. Si autem tria illa sola excipienda sunt, etiam in his tribus est adulterium, unde ista disputatio mota est. Sed quoniam malorum Christianorum mores, qui fuerunt antea etiã pessimi, habuisse non videntur hoc malum, ut alienas uxores ducerent viri, aut alienis viris fœminæ nubere: inde forrasse apud quasdam Ecclesias negligētia ista surrepsit, ut in catechismis competentium nec quærentur nec repercuterentur hæc vitia. Atque inde factum est, ut inciperent & defendi: quæ tamen in baptizatis rara sunt adhuc, si ea nos negligendo non defensa faciamus. Talem quippe in quibusdam negligentiam, in alijs imperitiam, in alijs ignorantiam probabiliter Dominus somni nomine significasse intelligitur, ubi

**Math. 13.** ait, Cum autem dormirent homines, venit inimicus, & super seminavit zizania. Hinc autem existimandum est, non ea primum apparuisse in moribus, quamvis malorum Christianorum,

**Cyprian.** quoniam beatus Cyprianus in epistolâ de lapsis, cum deplorando & arguendo multa commemoraret, quibus merito dicit indignationem Dei fuisse commotam, ut intolerabili persecutione Ecclesiam suam sineret flagellari, hæc ibi omnino non nominat: cum etiam illud non taceat, & ad eosdem mores malos pertinere confirmet, jungere cum infidelibus vincula matrimonij, nihil aliud esse asserens, quam prostituerentur gentibus membra Christi: quæ nostris temporibus jam non putantur esse peccata: quoniam revera in novo Testamento nihil inde præceptum est, & ideo aut licere creditum est, aut velut dubium derelictum est.

**Herodes.** Sicut etiam illud ambiguum est, utrum Herodes mortui duxerit, an vivi fratris uxorem: & ideo non ita claret, quid Joannes ei non licere dicebat. De concubina quoque, si professâ fuerit nullum se alium cognituram, etiam ab illo cui subdita est, dimittatur: merito dubitatur, utrum ad percipiendum baptismum non debeat

matrimonium cum infidelibus.

**Marc. 6.**  
v. 17.  
**Math. 14.**  
v. 3.



debeat admitti. Quisquis etiam uxorem in adulterio deprehensam dimiserit, & aliam duxerit, non videtur æquandus eis, qui excepta causa adulterij dimittunt & ducunt. Et in ipsis divinis sententijs ita obscurum est, utrum & iste, cui quidem sine dubio adulteram licet dimittere, adulter tamen habeatur si alteram duxit, ut quantum existimo venialiter ibi quisque fallatur. Quamobrem quæ manifesta sunt impudicitiae crimina, omni modo à baptismo prohibenda sunt, nisi mutatione voluntatis & poenitentia corrigantur: quæ autem dubia, omni modo conandum est, ne fiant tales conjunctiones. Quid enim opus est in tantum discrimen ambiguitatis caput mittere? Si autem factæ fuerint, nescio utrum ij, qui fecerint, similiter ad baptismum non debere videantur admitti.

## CAPUT X.

*Quæ baptizandi facere debeant?*

Quantum attinet igitur ad doctrinam salubrem veritatis, ne cuiquam mortifero peccato perniciosissima securitas detur, vel etiam pestilentiosissima tribuatur autoritas, iste curationis ordo est, ut baptizandi credant in Deum Patrem & filium & Spiritum sanctum, eo ritu quo symbolum traditur: & à mortuis operibus agant poenitentiam, omniumque se omnino præteritorum remissionem in baptismo accepturos esse non dubitent: non ut peccare liceat, sed ut peccasse non noceat, ut sit factis remissio, non permissio faciendi. Tunc verè dici potest, etià spiritualiter, ecce sanus factus es, jam non Ioh. 5, v. 14 li peccare: quod Dominus de corporali sanitate ideo dixit, quoniam sciebat ei quem salvum fecerat, meritis peccatorum illum etiam carnis accidisse languorem. Si autem ei homini, qui & baptizandus adulter ingreditur, & baptizatus adulter egreditur, miror, quomodo dici existiment, ecce sanus factus

es. Quis enim gravis & exitiabilis morbus erit, si adulterium sanitas erit?

## CAPUT XXI.

*Apostolos gravibus peccatis obnoxios non admisisse ad baptismum.*

**S**ed in tribus millibus, inquit, quos uno die Apostoli baptizarunt, & in tot millibus credentium, in quibus Apostolus ab Hierusalem usque in Illyricum Evangelium replevit, erant utique aliqui alienis uxoribus copulati, vel foeminae alienis maritis: in quibus regulam Apostoli constituere debuerunt, quae deinceps in Ecclesijs servaretur: utrum non admitterentur ad baptismum, nisi illa adulteria correxissent. Quasi non similiter adversus eos dici possit, quod non inveniunt aliquem commemoratum, qui cum talis esset, admisus est. Aut verò possint singulorum hominum crimina, quod infinitum erat, commemorari, cum generalis illa regula satis superque sufficiat, ubi Petrus pluribus verbis testificans baptizandis, ait: Eripite vos ab hoc seculo pravo. Quis enim dubitet ad hujus seculi pravitatem adulteria pertinere, & illos qui elegerunt in eadem iniquitate persistere? Similiter autem dici potest, publicas meretrices, quas utique ad baptismum, nisi ab illa turpitudine liberatas, nulla admittit Ecclesia, potuisse inveniri in tot millibus tunc credentium per tot gentes, & de his suscipiendis vel prohibendis constituere Apostolos exempla debuisse. Veruntamen de quibusdam minoribus possumus conjectare majora. Si enim ad baptismum Joannis venientes publicani prohibiti sunt aliquid amplius exigere, quam quod eis fuerat constitutum: miror si venientibus ad baptismum Christi posset permitti adulterium. Commemoraverunt etiam Israelitas multa mala & gravia perpetrasse,

Rom. 15.  
v. 19.

Act. 2. v.  
40.

Luc. 3. v. 13.

traffe, & effudisse multum sanguinem prophetarum, nec ta-  
 men ex his factis penitus meruisse deleri, sed ex infidelitate  
 sola, qua in Christum credere noluerunt: non intuentes, quia  
 peccatum eorum non hoc solum fuit, quia in Christum non  
 crediderunt, verum etiam quia Christum occiderunt: quo-  
 rum unum pertinet ad crimen incredulitatis, alterum ad cri-  
 men crudelitatis. Illud ergo est contra fidem rectam, istud  
 contra bonam vitam. Utroque autem vitio caret, qui fidem  
 Christo habet: non sine operibus mortuam, qua etiam in da-  
 monibus invenitur: sed fidem gratia, qua per dilectionem  
 operatur. Hæc est fides de qua dicitur: Regnum cœlorum  
 intra vos est. Hanc enim diripiunt qui vim faciunt creden-  
 do, impetrantes spiritum caritatis, ubi est plenitudo legis, sine  
 qua lex in litera reos faciebat etiam prævaricationis. Non  
 itaque putandum est ideo dictum: Regnum cœlorum vim  
 patitur, & qui vim faciunt, diripiunt illud: quia etiam mali  
 tantummodo credendo & pessimè vivendo perveniunt in re-  
 gnum cœlorum. Sed quia reatus ille prævaricationis, quem  
 sola lex, id est, litera sine spiritu jubendo faciebat, credendo  
 solvitur, & violentia fidei Spiritus sanctus impetratur: per  
 quem diffusa caritate in cordibus nostris, lex non timore pœ-  
 næ, sed justitiæ amore completur.

Iac. 2. v. 20  
 Gal. 5. v. 6.  
 Luca 17.  
 v. 21.  
 Rom. 13.  
 v. 10.  
 Matth. 11.  
 v. 12.  
 Rom. 5.  
 v. 5.

CAPUT XIIII.

*Non sufficere fidem mortua solum credere.*

**N**Equaquam ergo mens incauta fallatur, ut se existimet  
 Deum cognovisse, si eum fide mortua, hoc est, sine bo-  
 nis operibus confiteatur, more daemonum: & ideo se jam non  
 dubitet ad vitam æternam esse venturam, quia Dominus di-  
 cit: Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te unum ve-  
 rum Deum, & quem misisti Jesum Christum. Venire quippe



- debet etiam illud in mentem, quod scriptum est: In hoc cognoscimus eum, si mandata ejus servaverimus. Qui dicit, quia cognovit eum, & mandata ejus non servat, mendax est, & in hoc veritas non est. Et ne quisquam existimet mandata ejus ad solam fidem pertinere: quanquam dicere hoc nullus est ausus, præsertim quia mandata dixit, quæ ne multitudine cogitationes parerent, in illis duobus tota lex pendet & prophetæ: Licet rectè dici posset, ad solam fidem pertinere Dei mandata, si non mortua, sed viva illa intelligatur fides, quæ per dilectionem operatur: tamen postea Johannes ipse aperuit quid diceret, cum ait: Hoc est mandatum ejus, ut credamus nomini filij ejus Jesu Christi, & diligamus invicem. Hoc itaque prodest in Deum rectè à fide credere, Deum colere, Deum nosse, ut & bene vivendi ab illo sit nobis auxilium, & si peccaverimus, ab illo indulgentiam mereamur: non in factis quæ odit securi perseverantes, sed ab eis recedentes, eique dicentes: Ego dixi Domine miserere mei, sana animam meam, quoniam peccavi tibi: quod non habent cui dicant, qui non in eum credunt: & frustra dicunt, qui cum tam longè ab illo sint, à gratia mediatoris alieni sunt. Hinc illa verba sunt in libro Sapientiæ, quæ nescio quomodo intelligit perniciosæ securitas: Et si peccaverimus, tui sumus: quoniam scilicet bonum & magnum Deum habemus, qui velit atque possit peccentium peccata sanare, non qui minimè audeat permanentes in malignitate disperdere. Denique cum dixisset, Tui sumus: addidit, scientes potentiam tuam: utique potentiam cui se subtrahere nequeat, aut occultare peccator. Ideoque SECURUS adjunxit: Non peccavimus autem scientes quoniam tui sumus deputati. Quis enim dignè cogitans habitationem apud Deum in qua omnes prædestinatione sunt deputati, qui secundum propositum vocati sunt, non enitatur
- ita

ita vivere ut tali habitatione congruat? Quod ergo & Johannes dicit, Hæc scripsi vobis ut non peccetis, & si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum Justum, & ipse est exoratio pro peccatis nostris: non id ait, ut cum securitate peccemus, sed ut recedentes à peccato, si quod admissum est, propter illum advocatum quem non habent infideles, minime de indulgentia desperemus.

1. Iohan. 2.  
v. 1.

CAPUT XXIII.

*Judicare & judicium quid significant in  
sacris literis?*

**N**ec de his igitur verbis mitior illa conditio promittenda est, sic in DEUM credere volentibus ut permanent in perditis moribus: multo minus de illis ubi Apostolus ait, qui sine lege peccaverunt, sine lege peribunt. Qui autem in lege peccaverunt, per legem judicabuntur: tanquam hoc loco aliquid distet inter perire & judicari, cum alio verbo hoc idem significatum sit. Solent enim scripturæ judicium etiam pro æterna damnatione ponere. Sicut in Evangelio Dominus loquitur, veniet hora in qua omnes qui sunt in monumentis audient vocem ejus: & procedent qui bene fecerunt in resurrectionem vitæ: qui autem male egerunt, in resurrectionem judicij. Neque illud dictum est, hoc qui crediderunt, illud autem qui non crediderunt: sed hoc illi qui bene egerunt, illud qui male egerunt. Inseparabilis est quippe bona vita à fide, quæ per dilectionem operatur: imò verò ea ipsa est bona vita. Videmus itaque resurrectionem judicij dixisse Dominum pro resurrectione damnationis æternæ. De omnibus quippe resurrecturis, ubi proculdubio erant etiam ij qui omnino non credunt, neque enim ipsi non sunt in monumentis, duas partes fecit, alios in resurrectionem vitæ,

Rom. 2.  
v. 12.

Ioh. 5. v.  
29.

Gal. 5. v. 6.

vita, alios in resurrectionem iudicij resurrecturos esse declarans. Quod si dicunt, non sibi intelligendos etiam eos qui omnino non credunt, sed eos qui per ignem salvi erunt quia crediderunt, etiam si malè vixerunt, ut eorum transitoriam poenam iudicij nomine significatam arbitrentur. Quamquam hoc impudentissimè dicatur, cum omnino Dominus omnes resurrecturos, in quibus sine dubio & increduli erunt, in duo diviserit, vitam & iudicium: ita volens iudicium æternum intelligi, quamvis hoc non addiderit, sicut & vitam. Neque enim ait in resurrectionem vitæ æternæ, cum aliud utique intelligi noluerit. Videant tamen quid responsuri sint

Ioh. 3. v. 18 ubi ait, qui autem non credit, jam iudicatus est. Nam hîc proculdubio aut iudicium pro pœna æterna positum intelligunt, aut per ignem salvos futuros etiam incredulos dicere audent. Quoniam qui non credit, inquit, jam iudicatus est, hoc est, jam iudicio destinatus: & non erit quod pro magno beneficio polliceantur credentibus nequiterque viventibus, quando & ij qui non credunt non erunt perdendi, sed iudicandi. Quod si dicere non audent, non audeant aliquid mitius polliceri eis de quibus dictum est, per legem iudicabuntur: quia constat iudicium etiam pro æterna damnatione solere nominari. Quid quod invenimus non solum minimè minoris, verum etiam deterioris conditionis esse illos qui scientes peccant? Hi sunt enim maxime, qui legem acceperunt.

Rom. 4. v. 15. Nam sicut scriptum, ubi lex non est, nec prævaricatio. Hinc enim est & illud, concupiscentiam nesciebam nisi lex diceret, non concupisces. Occasione itaque accepta peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam: &

Rom. 5. v. 5. alia multa quæ de hac re idem Apostolus dicit. Ab hoc reatu graviore liberat gratia Spiritus sancti per Jesum Christum Dominum nostrum, quæ diffusa charitate in cordibus nostris

stris donat justitiæ delectationem, qua inmoderatio concupiscentiæ superetur. Hinc itaq; confirmatur non solum nihil mitius, sed gravius aliquid intelligendum, de quibus dictum est, qui in lege peccaverunt, per legem judicabuntur: quam de illis qui sine lege peccantes sine lege peribunt. Nec pro pœna transitoria hoc loco dictum judicium, sed pro ea qua etiam non credentes pessimè vivunt, ut eis dicant, qui sine lege peccaverunt, sine lege peribunt: qui autem in lege peccaverunt, per legem judicabuntur: tanquam dictum sit, non peribunt, sed per ignem salvi erunt: nec illud attendere potuerunt, hoc Apostolum de illis qui sine lege, & illis qui in lege peccaverunt dixissè, cum de gentibus & de Judæis ageret: ut non tantum gentibus, sed utrisq; gratiam Christi, quâ liberarentur, necessariam demonstraret: quod totum ipsa Epistola ad Romanos evidenter ostendit. Jam ergo etiam Judæis in lege peccantibus, de quibus dictum est, per legem judicabuntur: non eos liberante gratia Christi promittant, si placeat, per ignem salutem: quoniam de his dictum est, per legem judicabuntur. Quod si non faciunt, contra se ipsos veniunt, qui eos gravissimo infidelitatis crimine obstrictos esse dicunt: ut quid transferunt ad infideles & fideles, in eo quod ad fidem Christi attinet, illud quod dictum est de ijs qui sine lege & ijs qui in lege peccaverunt, cum de Judæis & de gentibus ageretur, ut ad Christi gratiam utriq; invitarentur.

## CAPUT XXIV.

*Libertas fidei non sit fidelibus velamentum malitiæ.*

**N**Equè enim dictum est, qui sine fide peccaverunt, sine fide peribunt: qui autem in fide peccaverunt, perfidem judicabuntur; sed sine lege dictum est, & in lege: ut

H

satis

- satis appareret illam causam tangi, quæ inter Gentes & Judæos agebatur, non quæ inter bonos malosq; Christianos. Quam si illo loco legem pro fide accipi volunt, quod nimis importunum & absurdum est, etiam hinc apertissimam possunt legere sententiam Apostoli Petri: qui cum loqueretur de ijs qui in occasionem carnis acceperant, & in velamentum malitiæ quod scriptum est, Nos ad novum Testamentum pertinentes, non ancillæ filios esse, sed liberæ, qua libertate Christus nos liberavit: & putaverant hoc esse liberè vivere, ut tanquã de tanta redemptione securi, quicquid liberet, licere sibi arbitrarentur, non intuètes quod dictum est: Vos in libertatem vocati estis, fratres, tantum ne libertatem in occasionem carnis detis. Unde & ipse Petrus dicit: Liberi non sicut velamentum malitiæ habentes libertatem: ait de illis & in secunda epistola sua: Hi sunt fontes sicci, & nebula à turbine exagitata, quibus caligo tenebrarum reservata est: superba enim vanitatis loquentes illiciunt in concupiscentijs impudiciæ eos qui paululum effugerunt, in errore conversati, libertatem illis promittentes, cum ipsi servi sint corruptionis. A quo enim quis devictus est, huic & servus additus est. Si enim nos & conservatoris Jesu Christi, his rursus implexi superantur, facta sunt illis posteriora deteriora prioribus. Melius enim erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam cognoscentibus retrorsum reflecti à tradito sibi sancto mandato. Contigit enim illis res veri proverbij, Canis reversus ad suum vomitum: & sus lota in volutabris cœni. Quid adhuc promittitur contra istam manifestissimam veritatem conditio melior, ijs qui cognoverunt viam justitiæ, hoc est, Dominum Christum, & perditè vivunt, quasi omninò non cognovissent: cum apertissimè dicatur, melius erat illis non cognoscere viam

1. Petri 2.

v. 16.

Gal. 4. v. 31

Gal. 5. v. 13

1. Pet. 2.

v. 16.

2. Petri 2.

v. 17.

Luc. 11. v.

26.

Math. 12

v. 45.

Prov. 16.

v. 11.



viam iustitiæ, quàm cognoscentibus retrorsum reflecti à tradito sibi sancto mandato ?

## CAPUT XXV.

*Sanctum mandatum quid, idq; cognoscentes  
ac transgredientes quæ pœna maneat ?*

**N**Equè enim illud hoc loco intelligendum est sanctum mandatum, quo præceptum est, ut in Deum credamus: quanquam eo ipso totum continetur si eam intelligamus fidem credentiùm, quæ per dilectionem operatur: sed apertè expressit quid diceret sanctum mandatum, id est, quo præceptum est, ut ab hujus mundi coinquinationibus recedentes, casta conversatione vivamus. Sic enim ait, Si enim 2. Petri 2. v. 20. refugientes coinquinationes mundi in agnitionem Domini nostri & Conservatoris **JESU CHRISTI**, his rursus implexi superantur, facta sunt illis posteriora deteriora prioribus. Non ait, refugientes ignorantiam Dei, aut refugientes infidelitatem sæculi, vel tale aliquid: sed coinquinationes mundi, in quibus est utiq; omnis immunditia flagitiorum. Nam de his superius loquens, dixit, Coëpulantes vobiscum, Ibid. 14. oculos habentes plenos adulterij & indefinitis peccati. Ideo etiam fontes siccos eos appellat, fontes videlicet, quòd acceperint agnitionem Domini Christi: siccos autem, quia non congruenter vivunt. De talibus quippe etiam Judas Apostolus loquens: Iud. 7. v. 12. Ii sunt, inquit, qui in dilectionibus vestris maculati coëpulantur, sine timore semetipsos pascentes, nubes sine aqua & cætera. Quod enim Petrus ait, coëpulantes vobiscum, osculos habentes plenos adulterij: hoc Judas, in dilectionibus vestris maculati coëpulantur. Mixti sunt enim bonis in epulis sacramentorum & dilectionibus plebium. Et quod Petrus ait, fontes siccos: hoc Judas, nubes sine aqua: 2. Petr. 2. v. 17.

H 2

hoc

Marth. 12  
v. 43.  
Lucæ 11.  
v. 26.

Gen 19.  
v. 27.

1. Tim. 1.  
v. 13.

hoc Jacobus, Fides mortua. Non itaq; promittitur pœna ignis transitoria turpiter scelerateq; viventibus, quia viam iustitiæ cognoverunt, quibus melius erat non cognoscere, sicut veracissima scriptura testatur. De talibus quippe etiam Dominus ait: Et erunt novissima illius hominis pejora quam erant prima: quoniam purgationis suæ habitorem Spiritum sanctum non recipiens, fecit in se immundum spiritum multipliciorem redire. Nisi fortè ideo sunt isti de quibus agitur meliores habendi, quia non redierunt ad immunditiam adulatorum, sed ab ea non recesserunt, nec purgati se rursus inquinaverunt sed purgari recusaverunt. Neq; enim ut relevata conscientia intrent baptismum, dignantur saltem vomere pristinas immunditias, quas canum more iterum forbeant, sed in lavacri ipsius sanctitate pertinaciter crudo pectore indigestam nequitiam tenere contendunt: nec occultant eam pollicitatione vel ficta, sed impudentia professionis eructant: nec exeuntes de Sodomis more uxoris Loth, in præterita iterum attendunt, sed omnino de Sodomis dedignantur exire: imò ad Christum cum Sodomis conantur intrare. Paulus apostolus dicit: Qui prius fui blasphemus & persecutor & injuriosus, sed misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate. Et istis dicitur: Tunc potius misericordiam consequimini, si scientes malè vixeritis in ipsa fide. Nimis longum est & penè infinitum omnia testimonia scripturarum velle colligere, quibus apparet non solum non esse mitiorem causam eorum qui scientes, quam qui nescientes vitam nequissimam & iniquissimam ducunt; verum etiam hoc ipso esse graviorem. Proinde ista suffecerint.

## CAPUT XXVI.

*Baptismo Christianorum vita respondeat.*

**C**Aveamus ergò diligenter in adiutorio Domini Dei nostri non facere homines malè securos, dicentes eis, quòd si fuerint in Christo baptizati, quomodo licet in ea fide vixerint, eos ad salutem æternam esse venturos: nec sic faciamus Christianos quomodo Judæi profelytos, quibus Dominus ait: Væ vobis Scribæ & Pharisei, qui circumitis mare & Mat. h. 13. terram facere unum profelytum: cum autem feceritis, facitis eum filium gehennæ duplo quàm vos estis, sed potius sanam doctrinam Dei magistri in utròq; teneamus: & sancto Mat. h. 13. baptismo consona sit vita Christiana, ne cuiquam homini si utrumlibet defuerit vita promittatur æterna. Qui enim dixit: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non intrabit Ioh. 3. v. 5. in regnum cœlorum: ipse etiam dixit, nisi abundaverit justitia vestra super scribarum & Phariseorum, non intrabitis Mat. 23. v. 20. regnum cœlorum. De illis quippe ait: Scribæ & Pharisei Mat. 23. v. 2. super cathedram Moysi sedent: quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite. Dicunt enim & non faciunt. Ergo justitia eorum est dicere, & non facere: ac per hoc nostram esse voluit abundantem super illorum, dicere & facere: quæ si non fuerit, non intrabitur in regnum cœlorum: non quia quisquam ita debet extolli, ut non dicam apud alios jactare, sed apud se ipsum putare audeat, se in hac vita esse sine peccato: sed nisi essent quædam ita gravia ut etiam ex communicatione plectenda sint, non diceret Apostolus: Congregatis I. Corin. 5. v. 4. vobis & meo spiritu tradere ejusmodi hominem satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini Jesu. Unde

2. Cor. 12.  
v. 21. etiam dicit. Ne lugeam multos ex ijs qui antè peccaverunt,  
& non egerunt pœnitentiam super immundiciam & fornicationem quam gesserunt. Item nisi essent quædam non ea humilitate pœnitentiæ sananda, qualis in Ecclesia datur eis qui propriè pœnitentes vocantur, sed quibusdam correptionum medicamentis, non diceret ipse Dominus: Corripue eum inter te & ipsum solum, & si te audierit, lucratus es fratrem tuum. Postremò nisi essent quædam sine quibus hæc vita non agitur, non quotidianam medelam poneret in oratione quam docuit, ut dicamus: dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.
- Matth. 18.  
v. 15.
- Matth. 6.  
v. 12.

## CAPUT XXVII

*Epilogus prædictorum.*

**J**Am satis, quantum arbitror, de tora illa opinione quid mihi videretur exposui, ubi tres quæstiones moverunt. Una de permixtione in Ecclesia bonorum & malorum, tanquam tritici & Zizaniorum: ubi cavendum est, ne ideò putemus esse propositas istas similitudines, vel hanc, vel de immundis in arca animalibus, vel quæcunq; idem alia significant, ut dormiat Ecclesiæ disciplina, de qua in figura illius mulieris dictum est: Severæ sunt conversationes domus ejus: sed ut non eousq; progrediatur dementiæ potius temeritas, quàm severitas diligentia, ut quasi bonos à malis per nefaria schismata separare præsumat. Neq; enim per has similitudines & prænuntiationes consilium desidix datum est bonis, qua negligant quod prohibere debent: sed patientia qua perferant salva doctrina veritatis quoddam emendare nõ valent. Nec quia scriptum est introisse ad Noë in arcam etiam immunda animalia: ideo præpositi vetare non debent, si qui immundissimi

Prov. 2. v.  
18.

Gen. 7. v. 2


diffimi ad baptismum velint intrare saltantes, quod est certè  
 mitius quàm mœchantes : sed per hanc figuram rei gestæ  
 prænunciatum est immundos in Ecclesia futuros propter to-  
 lerantiæ rationem non propter doctrinæ corruptionem, vel  
 disciplinæ dissolutionem. Non enim quacunque libuit in-  
 traverunt immunda animalia arca compage confracta, sed ea  
 integra per unum atq; idem ostium, quod artifex fecerat.  
 Altera quæstio est, in qua eis visum est fidem solam baptizan-  
 dis esse tradendam : postea verò jam baptizatos docendos esse  
 de moribus. Sed satis demonstratum est, nisi fallor, tunc  
 magis pertinere ad curam speculatoris, cum omnes qui fide-  
 lium comperunt sacramentum, omnia quæ dicuntur inten-  
 tius & sollicitius audiunt, non tacere de pœna, quàm male vi-  
 ventibus Dominus comminatur : ne in ipso baptismo rei sint  
 gravissimorum criminum, quo veniunt ut remittatur reatus  
 omnium peccatorum. Tertia quæstio est periculosissima, qua pa-  
 rum considerata, & non secundum divinum eloquium pertracta-  
 ta, tota illa opinio mihi videtur exorta, in qua promittitur  
 scelestissimè turpissimeq; viventibus, etiamsi eo modo vive-  
 re perseverent, & tantummodo credant in Christum, ejus-  
 que sacramenta percipiant, eos ad salutem vitamq; æternam  
 esse venturos : contra apertissimam Domini sententiã, qui  
 desideranti vitam æternam, respondit, Si vis venire ad vitam,  
 serva mandata : & commemoravit quæ mandata, ubi ea scilicet  
 peccata vitantur, quibus nescio quomodo salus æterna  
 promittitur propter fidem sine operibus mortuam. De his  
 tribus quæstionibus satis, quantum existimo disputavi : de-  
 monstraviq; sic tolerandos in Ecclesia malos, ut non negligatur  
 Ecclesiastica disciplina : sic catechizandos eos, qui bap-  
 tismum petunt, ut non solum audiant atq; suscipiant quid  
 credere,

Math. 19.  
v. 16.

Jacob. 2.  
v. 20.

credere, verum etiam qualiter vivere debeant: sic promitti fidelibus vitam æternam, ut non etiam per fidem mortuam, quæ sine operibus salvare non potest, ad eam se quisq; pervenire posse arbitretur, sed per illam fidem gratiæ, quæ per dilectionem operatur. Non itaq; culpentur dispensatores fideles, non sua negligentia vel pigritia, sed quorundam potius contumacia, qui pecuniam Dominicam recusant accipere, & adulterinam suam cogunt servos Dominicos erogare: dum nolunt saltem tales esse mali, quales S. Cyprianus commemorat, seculo verbis solis & non factis renunciantes: quando nec verbis renunciare Diaboli operibus volunt, cum se in adulterio permansuros voce apertissima profitentur. Si quid ab eis dici solet, quod fortè disputandi non attigi, tale esse arbitratus sum, cui mea responsio necessaria non fuisset: sive quod ad rem, de qua agitur, non pertineret, sive quod tam leve esset, ut à quolibet redargui facillimè possèt.

Cyprianus  
scim. 5. de  
lapsis.



JOHANNIS HENICHI  
De bonis fidelium operibus  
DISSERTATIO.

## CAPUT PRIMUM.

*Ostenditur homines fideles & Christianos teneri  
juxta precepta divina piè & sanctè vivere, nisi fidem  
amittere & salute excidere velint.*

**H**omo conversus, fidelis & Christianus sanctè pieq; vivere, ab omni improbitate se continere, & actiones suas ad legem & voluntatem divinam conformare tenetur. Qui id non facit, sed deliberato & consulto consilio peccat, is verè fidelis & Christianus esse definit, Spiritum sanctum & dona supernaturalia, quibus in æternam beatitudinem dirigebatur, amittit & statu gratiæ excidit. Probatum id disertè his scripturæ dictis. Gal. 5. v. 19. 20. & 21. *Manifesta sunt opera carnis: quæ sunt, adulterium, fornicatio, impuritas, lascivitas, idololatria, veneficium, inimicitie, lites, emulationes, excandescencia, rixæ, dissidia, hæreses. Invidia, caedes, ebrietates, commessationes & his similia, quæ dico vobis, prout*  
I *etiam*

etiam prædixi, eos videlicet qui talia agunt, regni Dei non fore heredes. Et Rom. II. v. 13. *Si secundum carnem vixeritis, futurum est, ut moriamini; sed spiritu actiones corporis mortificetis, vivetis.* Heb. 12. v. 14. *Sine sanctimoniâ nemo videbit dominum.* Quin Christus ipse Matth. 7. v. 10. ait: *Quaecumque arbor non fert bonum fructum, exciditur et in ignem conicitur. Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, introibit in regnum caelorum, sed qui facit voluntatem patris mei, qui est in caelis.*

II. Pertinent etiam huc illa S. Pauli verba, Gal. V. v. 6. *In Christo Iesu neque circumcisio quicquam valet, neque praeputium, sed fides per caritatem efficax.* Quasi dicat Apostolus, Non positus est Christianismus in Iudaismo, ita ut deterioris esse conditionis sit existimandus homo majoribus gentilibus prognatus & in circumcisus, ut ut baptizatus sit & Christum induerit, sed in fide vivâ & per caritatem efficace, h. e. in tali fide, quæ in opera caritatis se diffundit. Repetit eadem verba sub finem epistolæ, & quod priore loco dicebatur, *fides per caritatem efficace*, in posteriore ei dicitur *nova creatura*. Nempe per conversionem suam & admissum Christianismum ita homo immutatur aut certe debet immutari, ut ne quidem cognoscas eundem amplius esse, sed qui jam præditus est fide per caritatem efficace, videri possit alius ab eo, qui fuerat pridem, atque adeo *novus homo sive nova creatura*. Unde etiam 2. Cor. 5. v. 17, ait Apostolus: *Si quis est in Christo, h. e. si Christum induit & verus est Christianus, nova est creatura; vetera præterierunt, ecce nova facta sunt omnia.* Quæ profectò novitas studium pietatis & sanctimoniæ includit.

III. Dignus est hîc audiri Gregorius M. qui homil. 32. in Evangelia illud Servatoris Matth. 16. v. 24. *Qui vult post me venire, abneget semetipsum*, ita explicat: *Relinquamus nosmetipsos,*



psos, quales peccando nos fecimus, & maneamus nosmetipsi, quales per gratiam facti sumus. Ecce etenim, qui superbus fuit, si conversus ad Christum humilis factus est, semetipsum relinquit: si luxuriosus quisq. ad continentiam vitam mutavit, abnegavit utiq. quod fuit. Si avarus quisq. ambire jam desijt, & largiri didicis propria, qui prius aliena rapiebat proculdubio semetipsum relinquit. Ipse quidem est per naturam, sed non est ipse per malitiam. Hinc, enim scriptum est: Verte impios, & non erunt. Conversi namq. impij non erunt, non quia non erunt omninò in essentiâ, sed scilicet non erunt in impietatis culpa. Tunc ergò nosmetipsos relinquimus, tunc nos ipsos abnegamus, cum mutamus, quòd per vetustatè fuimus, & ad hoc nitimur, quòd per novitatem vocamur. Pensemus, quomodo se Paulus abnegaverat, qui dicebat: Vivo autem jam non ego. Extinctus quippe fuerat servus ille persecutor, & vivere cœperat pius predicator. Si enim ipse esset, pius profecto non esset. Sed qui se vivere denegat, dicat unde est quòd sancta verba per doctrinam veritatis clamat. Protinus subdit: Vivit verò in me Christus. Ac si aperitè dicat: ego quidem à memetipso extinctus sum, quia carnaliter non vivo, sed tamè essentialiter mortuò non sum, quia in Christo spiritualiter vivo.

I V. Ex his igitur scripturæ dictis, ne nunc plura adferamus, satis manifestò constat, omninò necessarium esse homini fideli & renato, ut servandis divinis præceptis det operam atque adeò abnegatâ impietate & mundanis cupiditatibus temperanter justè & piè vivat in præsentè seculo, si fidem non amittere & damnationem æternam evitare velit.

V. Atque hinc est, quòd veteres Christiani tam sanctè & accurate semper vitam suam instituerunt. Cum primis autem id fuit factum tribus primis seculis. Haud enim unquam Christiani confessione, constantia ac profusione sanguinis pro Christo clariores fuerunt & promptiores, quàm hisce

temporibus. Caritas, præterea & dilectio mutua inter eos fervens erat: castitatis, justitiæ, honestati, veracitati, beneficentiæ, patientiæ, longanimitati & id genus alijs pulcherrimis virtutibus impensè studebant, invicem sibi compatientes, seque mutuo consolationibus in calamitatibus erigentes, & in afflictionibus confirmantes. Hoc denique omnium commune erat studium, ut alij alios instituendo, admonendo, corrigendo & objurgando ædificarent melioresque redderent. Rara tùm inter Christianos exempla erant abnegationum, contemptus verbi divini & contentionis, aut seditio- nis, cædium, ebrietatis, adulterij, injustitiæ, mendacij, avaritiæ, furti, similiùmve vitiorum. Testatur enim Plinius quamvis ethnicus, ad Trajanum scribens, Christianos (sibi scilicet inquirenti:) *hanc fuisse summam sua culpa, quod essent solui statodie ante lucem convenire, carmenq; Christo quasi Deo suo dicere, seq; sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria, committerent, ne fidem fallerent, ne depositum abnegarent.* Præterea magistratibus, sedulo parebant & à Tyrannis injustè oppressi ac misère divexati, se non factionibus aut seditiõibus ulciscabantur: sed pro persecutorum conversione & pace Ecclesiæ tum privatim domi tum in coetu publico orabant.

V.I. Cæterum ut antiquitatis Ecclesiasticæ & prisicæ pietatis amantibus eò rectius omnia innotescant, operæ fuerit pretium ipsos illos, qui primis hisce seculis vixerunt & pro Christianâ religionem Apologias scripserunt, audire. Antequam autem id fiat, notandum est, quod Eusebius lib. 4. c. 7. de Gnosticis prodidit, præbuisse eos sceleratis, imò diabolicis suis moribus occasionem Ethnicis in religionem ac doctrinam Christianam illudendi. Hinc accidit, ut multa indigna

digna & atrocia flagitia Christianis imputarentur, quasi incestuoso & illicito concubitu cum matribus videlicet & sororibus, & nefandis cibus uterentur. Quæ crimina quum falsis rumoribus de Christianis spargerentur, odia in eos duriora & persecutiones crudeliores concitârunt. Id igitur agunt Viri illorum temporum doctissimi, ut Christianos à tantis calumnijs defendant, eorumque innocentiam demonstrant.

V I I. Sed audiamus nunc illorum verba, S. Justinus Apologiâ ad Antoninum Pium sic scribit: *Quot olim stupris laborabamur, nunc castitatem solam complectimur: qui magicis aribus utebamur, bono & aeterno nos consecramus dicamusq; Deo: qui pecuniarum & possessionum fructus ac proventus præ rebus omnibus adamabamus, nunc etiam ea, qua habemus in commune conferimus, & cum indigentibus quibusq; communicamus: qui odijs & cadibus mutuis inter nos grassabamur & pro consuetudine receptâ cum eis qui tribules nostri non essent, communem focum non habebamus, nunc à Christi apparitione familiariter simul vivimus, & pro inimicis oramus: & qui nos iniquo persequuntur odio, svasione flectere conamur, ut secundum honesta Christi præcepta vitam agentes, bonam spem habenti, eadem se nobis um à Deo omnium dominatore (præmia) esse consequuturos. S. Irænaus lib. 1. c. 1. Nos propter timorem DEI etiam cogitatione ac verbis peccare cavemus.*

I I X. Athenagoras legat. Pro Christianis. *Trium flagitiorum infamis rumor de nobis spargitur: impietas, qua Deos tollat, epula Thyesteæ, concubitus incesti. Quæ si vera sunt, nulli vel sexui vel ætati parcite, ad pœnas rapite, cum uxoribus & liberis funditus extirpate, si qui inter nos homines, belluarum more vivunt. Item: Apud nos verò homines etiam privati, quique ex manu pretio victuant, & ancilla, si nullam dicendo professionis suæ utilitatem exhibere queant, rebus ipsis & operibus eam*

declarant. Neque enim orationes compositas recitant aut annumerant  
 verba, sed actiones honestas & virtutum exempla de se præbent: dum  
 percussus non repercutiunt, spoliatis dicam non scribunt, petenti-  
 bus largiuntur, proximos (quosque) tanquam seipsos amant. An ve-  
 rò, nisi Deum genus humanum respicere, eis præesse putaremus, adeo  
 puritati & innocentia studeremus? Nequaquam. Sed quoniam  
 persuasissimi sumus, Deo qui & nos & mundum hunc condidit, trans-  
 acta hic vita totius rationes nos reddituros, moderatum, benignum  
 & plerisque contemptum vivendi genus diligimus. Quippe nullum  
 in hac vita tantum malum, etiamsi capitis periculum agatur, super ve-  
 nire nobis posse arbitramur, quod non omnino sit minimi, imò nihil  
 faciendum, præ illà, quam à summo iudice expectamus, olim felici-  
 tate, mansuetæ, benignæ, moderatæque vitæ causâ, nobis promissa.  
 Item: Nos certè tantum à promiscuâ illa Venere (quam scilicet ini-  
 mici nobis objiciunt) absumus, ut ne intuitus quidem nobis lascivior  
 aut libidini conjunctus permittatur. Nam qui mulierem, in-  
 quit (magister noster) vel aspectam sibi desideravit, adulterium  
 jam corde suo designavit. Quomodo igitur non castos atque pudicos  
 suspicetur aliquis illos, quibus in alium usum oculos suos vertere nefas  
 est, quam à Deo conditi sunt, h. e. ut corpori luceant: & quibus las-  
 civi? intueri, adulteri in instar est, quum in alios usus oculos sibi factos,  
 & se cogitationum quoque suarum, reos futuros intelligant? Non enim  
 cum humanis legibus nobis res est, quas etiam improbus aliquis effu-  
 gerit. A Deo quidem disciplinam nostram esse traditam, Domini,  
 ab initio asserui. Summa apud nos lex est, qua justitia modum &  
 exemplar in nobis ipsis requirit, à nobis ad proximum transfert.  
 Quamobrem etiam pro atatis discrimine, alios pro filiis & filiabus,  
 alios pro fratribus & sororibus habemus: proveciores atate patrum &  
 matrum loco honoramus. Illorum igitur quos tanquam fratres & soro-  
 res, aut alio cognationis nomine conjunctos nobis ducimus, in violata  
 & in-

Et integra manere corpora, maximi apud nos sit. Rursus quum religio nostra nos doceat, (sicut Vir quidam sanctus scripsit:) Si quis osculum sua cupiditatis causa repererit. Et mox, summa igitur cautione communicandum est osculum, ut non aliter quam pia salutatio, vel potius adoratio quadam habeatur: qua si vel parum impura cogitatione inquinata fuerit, à vita eterna nos alienet. Ergo spe vite aeternae freti, praesentem hanc ejuſque delicias, & sensuum etiam animarum (non puras) voluptates contemnimus. Itaque uxorem, quam secundum approbatas nobis leges sibi quicquid duxerit, reputat, non in alium quam in procreanda sobolis finem. Et iterum: Non in meditatione sermonis, & structura verborum, sed in rebus opere declasrandis, tanquam doctrina viva, professio nostra posita est.

I X. Theophilus Antiochenus lib. 3. ad Autolyicum post recitatas ex S. Scriptura leges, quibus Christiani vivere iubentur, ita subiungit: Nunc vide, an hi qui talia docentur, taliaque discunt, possint more brutorum animalium vivere, & pollui nefarijs commixtionibus: aut possint, quod quidem omnium immanissimum est, carnes humanas attingere: praesertim cum etiam monomachias spectare nobis interdictum sit, ne videlicet participes huiusmodi cadium reddamur. Nec caetera spectacula spectare audemus, ne oculi nostri inquinentur, & aures nostrae audiant prophana quae ibi decantantur, carmina, nempe, dum Thyestis tragica facinora commemorant, & Teratiberos devoratos recitant. Nec fas nobis est audire adulteria Deorum, hominumque, quae suavi verborum modulante, mercede, & praemijs inducti celebrant. Verum absit, absit, inquam, à Christianis, penes quos modestia & temperantia florent, continentia viget, unius uxoris legitimum matrimonium servatur, castitas colitur, iniustitia expellitur, peccatum eradicatur, iustitia exercetur, lex regnat divina, Religio tractatur vera, quos veritas gubernat, gratia servat, pax protegit, divinum verbum ducit,

ducit, sapientia docet, Christus qui vera est vita regit, Deusq; solus imperio temperat, absit inquam ut talia facivora vel cogitemus, nedum faciamus.

X. Minutius Felix fecit dialogum Christiani & Ethnici disputantium, qui Octavius inscribitur. In eo innocentiam Christianorum à calumnijs gentilium, præclare ibidem vindicat. Notentur hic ista: *Nos pudorem non facie, sed mente prestamus: unius matrimonij vinculo libenter inbaremus: cupiditate procreandi aut unam scimus, aut nullam. Convivia non tantum pudica colimus, sed & sobria. Nec enim indulgemus epulis, aut convivium mero ducimus, sed gravitate hilaritatem temperamus. Casto sermone, corpore castiore, pleriq; inviolati corporis virginitate perpetuà fruuntur potius quàm glorientur. Tantum deniq; abest incesti cupido, ut nonnullis rubori sit etiam pudica conjunctio. Nec de ultimâ statim plebe consistimus, si honores vestros & purpuras recusamus: nec fastidiosi sumus, si omnes unum bonum scimus eâdem congregati quiete, quàm singuli. Nec in angulis garruli, si audire nos publicè aut erubescitis, aut timetis. Et quod in dies nostri numerus augetur, non est, crimen erroris, sed testimonium laudis. Nam in pulchro genere vivendi & perstat & perseverat suus, & accrescit alienus. Sic nos deniq; non notaculo corporis ut putatis, sed innocentia ac modestia signo facile dignoscimus. Sic mutuo, quod invidetis, amore diligimus, quoniam odisse non novimus: sic nos, quod invidetis, fratres vocamus, ut unius Dei parentis homines, ut consortes fidei, ut spei coheredes.*

10. Egrè ferebant cum Judæi, tum gentiles, & Christianis objiciebant, quòd non sacrificarent. Respondet Minutius Felix, sua sacrificia esse laudes, preces, gratiarum actiones, exercitia pietatis & caritatis. *Lutabilis est hostia, inquit, bonus animus, & pura mens, & sincera sententia. Igitur qui*

qui innocentiam colit, Domino supplicat: qui iustitiam, DEO libat: qui fraudibus abstinet, propitiat Deum: qui hominem periculo surripit, optimam victimam cadit. Hac nostra sacrificia, hac Dei sacra sunt: Sic apud nos religiosior est ille, qui iustior.

X I. Notanda porro & hæc sunt: Si vobiscum Christiani comparemur, quamvis in nonnullis disciplina nostra minor est, multo tamen vobis meliores deprehendemur. Vos enim adulteria prohibetis, & facitis, nos uxoribus nostris solummodo viri nascimur: vos scelera admissa punitis; apud nos & cogitare peccare est: vos confisus timetis; nos etiam conscientiam solam, sine qua esse non possumus. Denique de vestro numero carcer exarsuat, Christianus ibi nullus nisi aut reus sue religionis, aut profugus. Et paulò post: Carcerum quod pierig, pauperes dicimur, non est infamia nostra, sed gloria. Animus enim ut luxu solvitur, ita frugalitate firmatur. Et tamen quis potest pauper esse, qui non eget, qui non inhiat alieno, qui Deo dives est? magis pauper ille est, qui cum multa habeat, plura desiderat. Dicam tandem quemadmodum sentio; nemo tam pauper potest esse, quam natus est. Aves sine patrimonio vivunt, & in diem pasua pasuntur: & hæc nobis tamen nata sunt: que omnia, si non concupiscimus, possidemus. Igitur, ut qui viam terit, cò felicior, quò levior incedit: ita beator in hoc itinere vivendi, qui paupertate se sublevat, non sub divitiarum onere suspirat. Et tamen facultates, si utiles putaremus, à Deo posceremus. Vtq; indulgere possit aliquantum, cuius est totum. Sed nos contemnere malumus opes, quam continere: Innocentiam magis cupimus, magis patientiam flagitamus: malumus nos bonos esse, quam prodigos. Et iterum: Quot ex nostris non dextram solum, sed totum corpus uri, cremari sine ullis ejulatiibus perulerunt, cum dimitti præsertim haberent in suâ potestate? Pueri & muliercula nostra cruces & tormenta, feras & omnes suppliciorum terriculas inspirat a patientia doloris illudunt.

XII. Ex Tertulliano ista annotari merentur. Lib. ad Scapulam c. 1. Nos quidem, inquit, neq. ex parte sumus, neq. per timefcimus ea, quae ab ignorantibus patimur: cum ad hanc sectam utiq. suscepta conditione ejus pacti venerimus, ut etiam animas nostras auctori in has pugnas accedamus, ea quae Deus repromittit, consequi optantes, & ea, quae diversa via comminatur, patitimentes. Deniq. cum omni se vita vestra concertamus, etiam ultrò erumpentes, magisq. damnati quàm absoluti gaudemus. Et rursus: Ita disciplina jubemur diligere inimicos quoq. & orare pro eis, qui nos persequuntur, ut hac sit perfecta & propria bonitas nostra, non communis: amicos enim diligere omnium est, inimicos autem solorum Christianorum. Et iterum: c. 2. Sed nec religio est, cogere religionem, quae sponte suscipi debeat, non vi: cum & hostia ab animo lubenti exposculetur. Ita etsi nos compuleris ad sacrificandum, nihil praestabis dys vestris: ab invitis enim sacrificia non desiderabunt, nisi contentiosi sunt: contentiosus autem DEVS non est. Rursus: Sic & circa majestatem Imperatoris infamamur. Tamen nunquam Albiniani, nec Nigriani, vel Cassiani in veniri potuerunt Christiani: sed iidem ipsi, qui per gentes eorum in pridie usq. juraverant, qui pro salute eorum hostias & fecerant, & voverant, qui Christianos saepe damnaverant, hostes eorum sunt reperi. Christianus nullus est hostis, nedum Imperatoris, quem sciens à DEO suo constitui, necesse est, ut & ipsum diligat & reveretur, & honoret & saluum velit, cum toto Rom. Imperio, quousq. seculum stabit: tam diu enim stabit. Colimus ergò & imp. Sic, quomodo & nobis licet, & ipsi expedit, ut hominem à Deo secundum, & quicquid est à Deo consecutum, & solo Deo minorem. Sic enim omnibus major est, dum solo vero Deo minor est. Et iterum: Itaq. & sacrificamus pro salute imperatoris, sed Deo nostro & ipsius, sed quomodo praecepit DEVS pura prece: non enim eget DEVS, conditor universitatis, odoris

aus



aut sanguinis alicujus : hac enim Daemoniorum pabula sunt. Dæmones autem non tantum respicimus, verum & revincimus & cottidie traducimus, & de hominibus expellemus, sicut plurimis notum est. Rursum : Et utiq; ex disciplinâ patientiæ divini agere nos, satis manifestum esse vobis potest, cum tanta hominum multitudo, pars penè major civitatis cujusq;, in silentio & modestia agimus, singuli forte non magis quàm omnes, nec aliunde noscibiles quam de emendatione vitiorum pristinorum. Absit enim, ut indignè feramus, ea nos pati : quæ optamus, aut ultionem à nobis aliquam machinemur, quam à DEO expectamus. Et iterum : cap. iv. Non terremus, qui nec timemus : sed velim, ut omnes salvos facere possimus, monendo, p̄n̄ *Deuce* xxi. Potes & officio juris dictionis tuæ fungi & humanitatis meminisse, vel quia & vos sub gladio estis. Et iterum : Præter hæc, depositum non abnegamus, matrimonium nullius adulteramus, pupillos p̄d̄ tractamus, indigentibus refrigeramus, nulli malum pro malo reddimus. Viderini, qui secl̄am mentiuntur, quos & ipsi recusamus. Quis deniq; de nobis alio nomine quaritur ? Quod aliud negotium patitur Christianus, nisi sua secl̄a ? quam incestam, quam crudelem, tanto tempore nemo probavit. Pro tantâ innocentia, pro tantâ probitate, pro justitia, pro pudicitia, pro fide, pro veritate, pro Deo vivo cremamur ; quod nec sacrilegi, nec hostes publici veri, nec majestatis rei pati solent. Et rursus : Quid facies de tantis millibus hominum, tot viris ac fœminis, omnis sexus, omnis ætatis, omnis dignitatis, offerentibus se tibi ? Quantum ignibus, quantum gladiis opus erit ? Quid ipsa Carthago passura est, decimanda à te, cum propinquos, cum contubernales suos illic unus quicq; cognoverit, cum viderit illic fortasse & tui ordinis viros & matronas, & Principales quasq; personas, & amicorum tuorum vel propinquos vel amicos ? Parce ergo tibi, si non nobis. Parce Carthagini, si non tibi. Parce provincia. Et denique : Magistrum, inquit, neminem

habemus, nisi Deum solum. Hic ante te est, nec abscondi potest, sed cui nihil facere possis. Ceterum quos putas tibi magistros, homines sunt, & ipsi morituri quandoq;. Nec tamen deficiet hac secula; quam tum magis adificari scias, cum cadi videtur: quig; enim tantam tolerantiam spectans, ut aliquo serupulo percussus, & inquirere accenditur, quid sit in causa, & ubi cognoverit veritatem & ipsi statim sequitur. Hæc ille ad Scapulam.

XIII. Similia Apologetico suo passim tradit. Nos nunc pauca, dundaxat, ex illo excerpemus. cap. 37. de insigni Christianorum ejus temporis tolerantia ita scribit: Absit ut aut igni humano vindicetur deus, aut doleat pati in quo probatur. Si enim & hostes externos, non tantum vindices occultos agere vellemus, deesset nobis vis numerorum & copiarum? Plures nimirum Mauri, & Marcomanni, ipsiq; Parthi, vel quantacung;, unius tamen loci & suorum finium, gentes, quam totius orbis. Hæsterni sumus, & vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum. Sola vobis relinimus templa. Qui bello non idonei, non proprii fuissetis, etiam impares copijs, qui tam libenter erucidamur, si non apud istam disciplinam magis occidi liceret, quam occidere? Et cap. 39. Universam illorum vitam breviter describit. Totum itaque ferè caput dignum est, quod hic legatur. Edam jam nunc, inquit, ego ipse negotia Christiana factionis, ut qui mala refuta verim, bona ostendam. Corpus sumus de conscientia religionis, & disciplina unitate, & spei federe. Coimus ad Deum, quasi manu facta precationibus ambiamus. Hæc vis Deo gratà est. Oramus etiam pro imperatoribus, pro ministris eorum, ac potestatibus, pro statu seculi, pro rerum quiete, pro morà finis. Coimus ad literarum divinarum commemorationem; si quid presentium temporum qualitas aut pramonere cogit, aut recognoscere. Certe fidem sanctis  
voci-

vocibus pascimus, spem erigimus, fiduciam figimus, disciplinam præceptorum nihilominus inculcationibus densimus. Ibidem etiam exhortationes, castigationes, & censura divina. Nam & iudicatur magno cum pondere, ut apud certos de Dei conspectu; summumq; futuri iudicii præiudicium est, si quis ita deliquerit, ut à communicatione orationis, & conventus, & omnis sancti commercij relegatur. Præsident probati quig, seniores, honorem ipsum non pretio, sed testimonio adepti, neq; enim pretio ullares Dei constat. Etiam si quod arca genus est, non de honoraria summa quasi redempta religionis congregatur. Modicam unus quig, stipem menstrua die, vel cum velit, & si modo velit, & si modo possit, apponit. Nam nemo compellitur, sed sponte confert. Hac quasi deposita pietatis sunt. Nam inde non epulis, nec potaculis, nec ingratis voratrinis, dispensatur, sed egenis alendis humanidig, & pueris ac puellis re ac parentibus destitutis, jamq; domesticis senibus, item naufragis. Et si qui in metallis, & si qui in insulis vel in custodiis, dumtaxat ex causa Dei secta, alumni confessionis sue fiunt. Sed ejusmodi vel maximè dilectionis operatio notam nobis inducit penes quosdam. Vide, inquiunt, ut invicem se diligant. Ipsi enim invicem oderunt. Et ut pro alterutro mori sint parati. Ipsi enim ad occidendum alterutrum paratiores. Sed & quod fratrum appellatione censemur, non alias, opinor, infamant, quam quod apud ipsos omne sanguinis nomen de affectione simulatum est. Fratres autem etiam vestri sumus jure natura matris unius, & si vos parum homines, quia mali fratres. At quanto dignius fratres & dicuntur, & habentur, qui unum patrem DEI M agnoverunt, qui unum spiritum biberunt sanctuatis, qui de uno utero ignorantia ejusdem ad unam lucem expaverunt veritatis? Sed eò fortasse minus legitimi existimamur, quia nulla de nostra fraternitate iragædia exclamat, vel quia ex substantia familiari fratres sumus, quæ penes vos ferè dirimit fraternitatem. Itaq; qui ani-

mo animâq; miscemur, nihil de rei communicatione dubitamus. Omnia indiscreta sunt apud nos, præter uxores, &c. Cæna nostra de nomine rationem sui ostendit. Id vocatur quod dilectio penes Græcos. Quantiſcumq; sumptibus constet, lutrum est pietatis nomine facere sumptum. Siquidem inopes quosq; refrigerio isto iuvamus, non qua penes vos parasiti affectant ad gloriam famulanda libertatis, sub auctoramento ventris inter contumelias saginandi; sed qua penes Deum major est contemplatio mediocrium. Si honesta causa est convivij, reliquum ordinem discipline aestimate qui sit, de religionis officio. Nihil vilis est, nihil immodestia admittit. Non prius discumbitur, quam oratio ad Deum prægustetur. Editur quantum esurientes cupiunt: bibitur, quantum pudicis est utile. Ita saturantur, ut qui meminerint etiam per noctem adorandum Deum sibi esse. Ita fabulantur, ut qui sciant Dominum audire. Postquam manua-lem & lumina, ut quisq; de Scripturis S. vel de proprio ingenio potest, provocatur in medium Deo canere. Hinc probatur quomodo biberit. Equè oratio convivium dirimit. Inde discitur non in cætervas, cæsonum, neq; in classes discursationum, nec in eruptiones lasciviarum, sed ad eandem curam modestie & pudicitie, ut qui non tam cænam cœnaverint, quam disciplinam. Hac coitio Christianorum merito sanè illicita, si illicitis par; merito damnanda, si non dissimilis damnandis, si quis de ea queritur eo titulo, quo de factionibus querela est. In cuius perniciem aliquando convenimus? hoc sumus congregati, quod & dispersi. Hoc universi, quod & singuli; neminem ladentes, neminem contristantes. Cum probi, cum boni cœeunt, cum pijs, cum casti congregantur, non est factio dicenda, sed curia. Et iterum capite 45. Innocentiam à Deo edocti, & perfectè eam novimus, ut à perfectò Magistro revelatam, & fideliter custodimus, ut ab in contemptibili disceptatore mandatam.

XIV. His omnibus adjiciatur tandem S. Cyprianus qui

qui tractat ad Demetrianum Africae Proconsulem Christianorum mores & incredibilem cum primis patientiam sic describit: *Ledere servos Dei & Christi persecutionibus tuis desine, quos laesos ultio divina defendit. Inde est enim quod nemo nostrum, quando apprehenditur, reluctatur: nec se adversus injustam violentiam vestram, quamvis nimius & copiosus nosser sit populus, ulciscitur. Patientes facit de securitate ultione securitas. Et rursus: Nullus ijs dolor est de incurfatione malorum praesentium, quibus fiducia est futurorum bonorum. Denique nec consternamur adversis, nec frangimur, nec dolemus, neque in ulla aut rerum clade, aut corporum valetudine mustitamus; spiritu magis quam carne viventes, firmitate animi infirmitatem corporis vincimus. Per ipsa, qua vos cruciant & fatigant, probari & corroborari nos scimus & fidemus. Partis nos adversa vobis, um aequaliter perpeti cum eadem adversa videatis à nobis & vobis non aequaliter sustineri? Apud vos impatientia clamorosa semper & querula est, apud nos fortis & religiosa patientia, quieta semper, & semper in Deum grata est: nec quidquam istic latum aut prosperum sibi vindicat, sed mitis & lenis, & contra omnes fluctuantis mundi turbines stabilis, divina pollicitationis tempus expectat. Quandiu enim corpus hoc permanet, commune cum ceteris sui necesse est, & corporalis conditio communis; nec separari generi humano ab invicem datur, nisi istinc de seculo recedatur. Intra unam domum boni & mali interim continemur. Quidquid intra domum venerit, pari sorte perpetimur; donec aevi temporalis sine completo, ad aeterna vel mortis vel immortalitatis hospitia dividamur. Non ergo idcirco compares vobis & aequales sumus, quia in isto adhuc mundo & carne hac constituti mundi & carnis incommoda vobis, um pariter incurrimus: nam cum in sensu doloris sit omne quod punit, manifestum est eum non esse participem poena tuae, quem tecum videas non dolere. Viget apud nos spei robor, firmitas fidei, & in-*

ter

ter ipsius seculi labentis ruinas erecta mens est, & immobilis virtus, & nunquam non lata patientia, & de Deo suo semper anima securo. Et iterum: Vinea licet fallat, & olea decipiat, & herbis siccitate morientibus astuans campus areseat; quid hoc ad Christianos? quid ad Dei servos, quos paradysus invitat, quos gratia omnis & copia regni caelestis expectat? Exultant semper in Domino, & latantur, & gaudent in Deo suo; & mala atq; adversa mundi fortiter tolerant, dum dona & prospera futura prospiciant, Nam qui exposita nativitate terrenâ, spiritu recreati & renati sumus, nec jam mundo, sed Deo vivimus; non nisi cum ad Deum venerimus, Dei munera & promissa capiemus; & tamen pro arcendis hostibus, & imbribus impetrandis, & vel auferendis vel temperandis adversis, rogamus semper & preces fundimus: & pro pace ac salute vestra propitiantes ac placantes Deum, diebus ac noctibus jugiter atq; instanter oramus.

X V. Ita ergo vixerunt Christiani veteres. Utinam nostri homines illorum exemplum imiteatur, & vitæ suæ in melius mutationem seriò tandem aliquando meditari incipiant! Reverà enim frustrâ se Christi sectatorem profitetur, atque adeo Christianum vocat, qui non Christi præceptis obtemperat sed affectibus suis indulget & carni servit, nullamq; erga proximum caritatem exercet. Hinc rectè Justinus in Apologetico: *At enim qui non ita vivere comperiuntur, sicut ille docuit, certum id est documentum non esse Christianos, quamvis doctrinâ Christi linguâ profiteantur. Non enim profitentes tantum, sed operibus simul professionem confirmantes, salvatum iri dicit.* Et sanctus Augustinus exposit. in 1. epist. Joh. tractat. 5. illa Apostoli verba: *Qui autem habuerit facultates mundi, & viderit fratrem suum esurientem, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo poterit dilectio Dei manere in eo?* ita explicat: *Ecce unde incipit caritas. Si nondum es idoneus mori pro fratre: jam idoneus esto dare de tuis facultatibus.*

cultatibus fratri. Iam percutiat viscera tua caritas, ut non de ja-  
 Etantiâ facias, sed de intimo adipe misericordia: ut consideres illum  
 in egestate positum. Si enim superflua non potes dare fratri tuo, ani-  
 mam tuam potes ponere pro fratre: lacet pecunia in sinu tuo, quam  
 tibi fures possunt auferre: & si illam non auferant fures, moriendo  
 illam deseret, etiam si te illa viventem non deserat. Quid inde fa-  
 cturus es? Esuris frater tuus, in necessitate positus est: fortassis su-  
 spenditur, à creditore angustatur. Non habet ipse, habes tu: frater  
 est, simul empti estis, unum est pretium vestrum, ambo sanguine Chri-  
 sti redempti estis. Vide si misereris, si habes facultates mundi. Quid  
 ad me pertinet, forte dicis? Ego daturus sum pecuniam meam, ne il-  
 le molestiam patiat? Si hoc tibi responderit cor tuum; dilectio pa-  
 tris non in te manet. Si dilectio patris non in te manet, non es na-  
 tus ex Deo. Quomodo ergò te gloriaris esse Christianum? Nomen  
 habes, & facta non habes. Si autem nomen secutum fuerit opus, di-  
 cat te quisquam Paganum, tu factis ostende te Christianum. Nam  
 si factis non ostendis Te Christianum, omnes te Christianum vocent:  
 quid tibi prodest nomen, ubi res non inveniunt? Et tractatu præce-  
 dente ad illa S. Johannis verba; Ecce qualem dilectionem dedit  
 nobis pater, ut filij Dei vocemur & simus (hanc enim particulam  
 addit Vulgatus interpres) ita scribit: Nam qui vocantur & non  
 sunt quid illis prodest nomen, ubi res non est? Quàm multi vocan-  
 tur medici, qui curare non norunt? Quàm multi vocantur vigiles,  
 qui totâ nocte dormiant? Sic multi vocantur Christiani, & in rebus  
 non inveniuntur, quia hoc quod vocantur non sunt: i. e. in vitâ, in  
 moribus, in fide, in spe, in caritate. Idem serm. CCXVI. de tem-  
 pore; Non nobis sufficit, fratres, quod Christianum nomen acce-  
 pimus, si bona opera non fecerimus Christiana. Illi enim prodest, quod  
 Christianus dicitur, qui castitatem diligit, ebrietatem fugit, super-  
 biam detestatur, invidiam velus venenum diaboli respuit. Ille verè

Christianus est, qui furium non facit, qui falsum testimonium non dicit, qui nec mentitur nec perjurat, qui adulterium non committit, qui ad Ecclesiam frequentius venit, qui de fructibus suis non gustat, nisi prius ex ipsis Deo aliquid offerat, qui decimas annis singulis erogandas pauperibus reddit, qui sacerdotibus suis amorem impendit, qui omnes homines sicut seipsum diligit, qui nullum hominem odio habet. Ille verò non solum Christianus est, sed ipse Christus in illo habitat: qui stateras dolosas & mensuras duplices velus gladium diaboli perimefcit. Ille bonus Christianus est, qui quando ad Ecclesiam venit, & oblationem qua in altaria mittatur exhibet, & pauperibus secundum quòd vires habet argentum porrigit aut buccellam: qui peregrinos in domum suam excipit: qui hospitibus pedes lavat: qui non solum lites nõ concitat, sed etiam discordes ad concordiam revocat: qui maioribus & parentibus honorè & amorè vera caritatis impendit: qui & ipse castè vivit & filios vel vicinos suos ut castè & sobriè vivant, & verbis admonet, & exemplis docet. Ille bonus Christianus est, qui quoties sancta sollempnitates veniunt, ut securius communicet, ante plures dies castitatem cum proprià uxore custodit, ut sincera & secura conscientia ad altare Domini casto corpore & mundo corde praesumas accedere. Qui symbolum & orationem dominicam memoriter tenet, & filios vel filias suas ut ipsi teneant, fideliter docet. Ecce audistis fratres, quales sint Christiani boni. Et ideo quantum possumus, cum Dei adiutorio laboremus, ut nomen Christianum non sit falsum in nobis, nec in bonis Christi sacramenta patiantur injuriam, sed semper opera Christiana & cogitemus in corde, & impleamus in opere. Hæc Augustinus, Eundem prorsus in modum loquitur Salvianus lib. iv. de gubern. Dei: Totum in id revolvitur, ut qui Christiani nominis opus non agit, Christianus non esse videatur. Nomen enim sine actû atq; officio suo nihil est. Nam sicut ait quidam in scriptis suis: Quid est aliud principatus sine meritorum sublimitate, nisi honoris



*honoris titulus sine homine, aut quid est dignitas in indigno, nisi ornamentum in luto? Itaq, ut iisdem verbis etiam nos utamur, quid est aliud sanctum vocabulum sine merito, nisi ornamentum in luto?*

XVI. Quemadmodum verò frustra ejusmodi homines, qui in peccatis contra conscientiam vivunt Christi que præcepta insuper habent, Christianos se appellant, ita frustra iidem fidem jactant & salutem æternam sibi pollicentur. *Qua enim utilitas, inquit, S. Jacobus cap. 2. v. 14. Si fidem dicat aliquis habere se, opera verò non habeat? Num potest fides illa eum servare.* Rationem subjungit v. 26. *Sicut corpus absq, Spiritu mortuum est, ita fides sine operibus mortua est.* Sensus est: Quemadmodum homo mortuus, qui est absque risu & motu, (per Spiritum enim hic Apostolus non tam animam, quam actiones animæ intelligit) non est homo, nisi voce duntaxat, non quod risus & motus largiantur esse homini, sed quod illud necessariò consequantur, ita fides, quæ per caritatem non operatur, nec dato tempore & occasione pijs factis sese exerit, tantum est inane fidei nomen ac cadaver, minimè Germana & solida Christiana fides.

XVII. Neque id mirum cuiquam videri debet. Quis quis enim spiritum CHRISTI non habet, is verà fide non est præditus: hanc enim sine inhabitante & intrinsicè operante Christi Spiritu nemo potest habere, ut omnes Catholicos fateri oportet. Sed qui secundum carnem vivit, & servandis divinis præceptis lege, quam moralem vocamus, expressis, cujus completio est caritas, non dat operam, Spiritum Christi non habet: hunc enim qui habet, is verè est Christi, ac proinde carnem crucifigit, cum affectibus & cupiditatibus, ut discretè scriptum est, Gal. 5. v. 24. Rectè S. Bernardus serm. 111. in die Pentecostes: *Spiritus iste odii sordes, nec habitare po-*

*erit in corde subdito peccatis. Cui enim proprium est peccata expellere, ipsi & proprium est peccata odisse: nec in uno domicilio pariter morabuntur munditia & immunditia. Quod igitur in ejusmodi homine instar fidei apparet illud, ut paulò ante diximus, larva & simulachrum quoddam est fidei, non vera & salvifica fides, nec conjunctum cum fiducia, quæ velut anima est fidei. Nam per hoc scimus, quod ipsam novimus, ita videlicet ut novissè oportet, si præcepta ipsius observemus. Qui dicit, novi eum, hoc est, ita novi eum, ut simul in eo omnem fiduciam meam colloquem, & præcepta ejus non observat, mendax est, & in eo veritas non est. 1. Joh. 2. v. 3, & 4. Unde idem Apostolus cap. 3. v. 18. & seqq. ait: *Filii mei, ne diligamus linguâ neg, verbo, sed factò & veritate*, i. e. ut eleganter *παρὰ φωνῆ* Erasmus Rotèrodamus, in animo sit caritas potius quam in linguâ, & factis se promat potius quam voce. Sit fratrum vocabulum in sermone quotidiano, sed ut veri simus, orationi facta respondeant, quoties se dederit occasio, re declaremus in nobis esse verè fraternum amorem. Ne desit fratri quod nobis superest, sive vestem desiderabit, sive cibum, aut lectum, sive consolationem, sive doctrinam, sive admonitionem. Et per hoc cognoscimus nos ex veritate esse, verà videlicet & salvificâ fide præditos, & coram ipso, in DEI conspectu, coram divino tribunali, *secura*, sive tranquilla, reddemus corda nostra ex indicio & argumento satis certo colligentes, quod simus in gratiâ & non subirà. Nam si contra se habeat, si nos *condemnet cor nostrum* sive animus noster, i. e. conscientia nostra, si conscij nobis simus, nos egentium fratrum rationem nullam, quando maximè oportuit, habuisse, nec quicquam necessariorum suppeditasse, imò potius fratres odisse, nempe *potentior est Deus corde nostro*, longè acutiùs cernit, & novit omnia,*

omnia,

omnia, atque adeò quæ in corde nostro latent rectius, quam nos ipsi, perspecta habet. *Abditos habet recessus*, (iterum sunt verba Erasmi) *ac perplexas latebras cor humanum, sed nihil esse potest tam reconditum tamq̃ abstrusum, quod ille non penetret. Novit ille omnia melius nobis novit cor nostrum, qui fecit cor nostrum. Nusquam non habet oculos, qui nusquam non adest.* Qui ergo ut religionem Christianam professus à suâ ipsius conscientia crassi & enormis delicti condemnatur, is, quam diu est, ac esse pergit talis, multò magis à divinâ sententia condemnabitur. Unde nec spes est ejusmodi hominem cum verâ fide ac fiduciâ coram Deo comparere & ab eo aliquid impetrare posse. *Dilecti, si cor nostrum nos non condemnet, fiduciam habemus apud Deum: & quicquid petierimus, accipimus ab eo, quoniam præsuppositâ fide in Christum præcepta ejus observamus, & quæ in ipsius conspectu placem facimus*: atque ita præcepta observando & quæ placent faciendo, ne fidem amittamus vel gratiâ, excidamus, cavemus. Ex his igitur satis superque constat, studium pietatis à verâ & salvificâ fide nò posse separari atque adeo non esse veram & salvificam fidem, quam dato tempore & occasione pia opera non sequantur.

XIX. Quid præcipi patres hæc de re statuerint & quantâ diligentia necessitatem pietatis ac sanctimonie inculcârint ex ijs, quæ pridem attulimus, ita est manifestum, ut vix opus sit plura testimonia producere. Subjiciemus tamen adhuc pauca, ut nihil novi nos docere quando studium pietatis tantopere urgemus, & fidem mortuam salvandis non sufficere adserimus, eò liquidius appareat. S. Irenæus lib. 5. *Si ut qui in melius profecerit, & fructum operatus fuerit spiritus, omnimodo salvatur, propter spiritus communionem: sic is qui remanserit in carnis operationibus, carnalis verè depuratus, quod non assumat spiritum Dei, re-*

regnum non poterit possidere caelorum. S. Cyprianus Tract. de idolorum vanitate: *Quod est Christus, erimus Christiani, si Christum fuerimus imitati*, id est, tunc demum cum Christo regnabimus, si virtutes ejus sectati fuerimus. S. Chrysostomus homil. VII. in epist. ad Rom. *Quandoquidem post gratiam hanc, per quam justificati sumus, & recte quoque vita instituta opus est, agere studium tanto dono dignum exhibeamus. Exhibebimus porro, si bonorum matrem caritatem studiosè accurateque servaverimus. Est autem caritas, non nuda verba, non salutationes simpliciter praestita, sed praesidium ac patrocinium, operibusque ipsis conjuncta voluntatis demonstratio.* v. g. *Si quem paupertatis vinculis solvis, si quibus morbo afflictis opitularis, si quem à periculis in quibus versatur, asseris, si quibus afflictione ac necessitate pressis ades.* Et mox homil. XI. *Eadem ratione nullum Christiano ei lucrum accedet, qui fidem habuerit suamque ad credendum Deo animum induxerit, tunc donum id acciperit, quod baptisma ipsum consequitur: affectibus autem objectus, obnoxiusque interim fuerit.* Et homil. XIII. *Ne igitur tantum donum prodas, sed perpetuo asseruato pulchrum hunc thesaurum: Tibi enim hic commonstrat lavacrum nobis non sufficere ad salutem: nisi & lavacro accepto, vitam dono dignam exhibeamus.* Et iterum: *Neque enim licet, ne fide quidem jam accepta, pigrescentem salvum fieri; facilia enim proposita sunt certamina, ut tu medià in palastra vincas; non ut obdormias, neque ut gratia magnitudine ad ignavia argumentum abusare, priori in caeno rursus volutatus.*

XIX. Salvianus de gubernat. De ilib. 4. statim post init. *Quae ratio est, ut ipsi nos falsà opinione fallamus, existimantes scilicet, quia Christiani esse dicamur, quod opitulari nobis inter mala, quae agimus, nomen bonum possit: quum spiritus sanctus nec fidem quidem ducat hominibus Christianis, sine operibus bonis posse prodesse. & utique multo plus est, fidem habere, quam nomen: quia nomen est vocabulum*

vocabulum hominis; fides autem fructus est mentis. Et tamen hunc ipsum fidei fructum infructuosam Apostolus sine operibus bonis esse testatur, dicens: Fides sine operibus bonis mortua est.

XX. S. Fulgentius (quid enim vetat etiam est sextò seculo in signem aliquem scriptorem producere) lib. de fide ad Petrum Diac, cap. 40. Firmissimè tene & nullatenus dubites non omnes, qui in Ecclesiam Catholicam baptizantur, accepturos esse vitam aeternam, sed eos, qui percepto baptismo rectè vivunt, i. e. qui abstinnerunt se à vitiiis & concupiscentiis carnis. Regnum enim cælorum sicut infideles hæretici atq; schismatici non habebunt, sic Catholici criminosi possidere non poterunt. Idem lib. 1. de remissione peccatorum, cap. 26. Si qui in Ecclesiâ Catholica sunt & malè vivunt, priusquam istam vitam finiant, festinent, ut à malâ vitâ discedant, nec sibi putent ad salutem sufficere Catholicum nomen, si Deû non faciant voluntatem. Et cap. 28. quum citasset verba Apostoli Pauli Apparuit autem gratia Domini omnibus hominibus &c. Subjungit: illorum est igitur spes beata, illorum expectatio certa, illorum felicitas futura, qui abnegantes impietatem & secularia desideria, sobriè & justè & piè vixerint in hoc seculo. Sobrietas itaq; & justitia & pietas debent à Christianis intentissimè custodiri. Sobrietatem autem custodit, quisquis mores suos vitamq; componit. Et ille justè vivit, qui proximo nec malè aliquid ingerit, & in quantum potest adjutorium bonæ operationis impendit. Ille etiam piè vivit, qui perversum aliquid nec credit de Deo, nec dicit. Quisquis ergò vult ad regnum pervenire cælorum, vivat sobrius in semetipso: justitiam servet in proximo: pius se servet in Deo. Et rursus lib. 2. c. 1. Non sufficit ad salutem fides rectè credentis, si conversatio moribus atq; operibus turbatur obscænis. Ità etiam Fulgentius & hæc ita veteres.

XXI. Sed quàm vera hæc sunt, tam parum pro dolor!  
abho-

ab hodiernis Christianis observantur. Quanta enim impietas passim apud Christianos hodie in valuerit, & quam latè se hominum iniquitas diffuderit, id notius est, quam ut nostra cõmemoratione indigeat. Et quamvis Deus optimus maximus, pro singulari suâ benignitate nobis Germanis utut nihil tale meritis pacem & tranquillitatem clementer restituerit, nosque ex diuturno isto bello, quo propter inolita & frequentia delicta nostra, ipsos annos XXX tam acerbè eram? castigati, tandem liberaverit, tantum tamen abest, ut agnoscam? grato animo immensum hoc Dei beneficium, atque adeò vitam in melius mutemus, ut potiùs eo ad omnis generis flagitia turpiter abutamur & longè nunc deteriores fieri videamur. Pauci profectò sunt, qui tanti beneficij, imò qui Christianissimi sui memores continere se nunc tandem aliquando à vitâ improbâ, eamque seriò odisse incipiant. Unde valde metendum est, ne Deus flagitijs nostris irritatus alijs adhuc gravioribus pœnis in nos animadvertat, imò prorsus tandem nos à facie suâ abiciat, præsertim si nullam nostram poenitudinem, sed potiùs meram passim ingratitude[m] conspiciat.

XXII. Vix autem potest huic malo rectiùs obviam iri, quam si primò concionatores & ministri Ecclesiæ studium pietatis & bonorum operum in concionibus suis diligenter urgeant & auditores suos ab impoenitiâ ad poenitentiam & à perversis moribus ad vitæ honestatem ac pietatem impellere nunquam desinant. Imprimis autem cum fructu & operæ pretio id facient, si extremi illius judicij rigorem & æterna gehennæ incendia ijs, qui peccatis ac flagitijs tam diu assueverunt, etiam atque etiam inculcent atque adeò ostendant, neminem posse ea effugere, nisi seriò vitam suam emendet & à peccatis contra conscientiam committendis abstinere alla-

boret.

boret. Ubi sanè Oratorem Ecclesiasticum enthymematicum, h. e. insigni argumentorum copiâ instructum esse oportet, ut ne elumbes ac frigidas habeat conciones sed disertas & efficaces. Non solum autem publicè sed etiam privatim enormiter peccantes admonere debent, omniq̃ue modò in id incumbere, ut eos in viam reducant & meliori menti restituant. Verùm per paucos Ecclesiæ ministros prohdolor ! hodie reperias, qui suo hic officio eâ, qua par erat, fide ac diligentia, fungantur. Plerique enim parvi pendunt probosne habeant auditores an improbos, redeantne delinquentes ad frugem, an in impietate suâ pergant & perseverent. Væ autem atque iterum dico væ illis, quotquot muneris sui obliti tantam rem tam negligenter agunt ! Reddent profecto aliquando illi rationem suâno judici, à quo tam severè vigilare pro animabus sibi commissis iussi fuerant. Unde non sine causâ S. Chrysostomus homil. 34. in epist. ad Hebræos exclamat : *Σαυμάζω εἰ ἴσά ἐστι τῶν ἀρχόντων σωθῆναι.* Miror an fieri possit, ut aliquis ex rectoribus ( seu pastoribus ) salvetur !

XXIII. Deinde etiam cavere debent ministri Ecclesiæ, ne quosvis indiscriminatim ad S. Eucharistiam admittant & à peccatis absolvant, contra quàm vulgò hodiè fieri consuevit. Illis enim, ut ut petant, sine dubio absolutio & coena Dominica denegari debet, qui admoniti de apertis manifestisque flagitijs, in veteri tamen luto foedarum voluptatum pergunt volutari, vel etiam in perpetuis ebrietatibus aut odijs & inimicitijs vivunt aut injustitias exercent, omniaq̃ue monita contemtu habent. Huc etiam pertinent, quæ S. Ambrosius de nonnullis sui temporis pœnitētibus scribit li. 2. de pœnitentiâ c. 9. *Nonnulli, inquit, idèò possunt pœnitentiam, ut statim sibi reddi communionem velint. Hi non tam se solvere recipiunt, quàm sa-*

M

cerdo.

cerdotem ligare. Suam enim conscientiam non exciunt, & sacerdotis induunt, cui praeceptum est: Nolite sanctum dare canibus, neque miseritis margaritas ante porcos: h. e. immundis spiritibus sacrae communionis non facile impertienda consortia.

XXIV. Similiter S. Chrysostomus homil. 83. in Matth. graviter hortatur ministros Ecclesiae, ne quempiam impiorum, quos impoenitentes norint, ad Saecenam admittant. Locus quidem est prolixior sed dignus, qui hic notetur & pijs Ecclesiae ministris considerandus proponatur: Adeat nullus crudelis, nullus immisericors, nullus impurus quovis modo: hac tam ad vos, qui communicatis, quam ad vos, qui ministratis, dicta esse volo. Oportet enim etiam eadem ad vos dicere, ut magno studio, & diligenti cura dona hac distribuatis. Non parva vobis imminet poena, si quem aliqua improbitate teneri scientes, ei hujus mensae participationem permittatis. Sanguis enim ejus ex manibus requiretur vestris. Si dux igitur quispiam, si consul ipse, si qui diademate ornatur, indignè adeat: cobibe ac coërce, majorem tu illo habes potestatem. Ita si limpidissimus aqua fons ut intactum gregi servares, tibi commissus esset, cum petulos, sues ac sordidissimos venire adspiceres, non patereris in fluentes illos descendere, nec fontem ab his perturbari: Nunc verò cum non aqua sed sanguinis & spiritus sacratissimus fons commissus tibi sit, si peccatis inquinatissimos videbis accedere homines, non indignaberis, neque prohibebis? Et quam veniam hujus contemptus consequeris? Idcirco vos Deus tanto voluit honore decorare, ut hac diligentissimè discernaris. Hac est dignitas vestra, hac stabilitas, hac corona praecipua, non ut tunicam induti candidissimam per Ecclesiam ambuletis. Sed unde, inquires, ego illum atque illum qualis sit cognoscere possum? Non de ignotis, sed te notis hac disputo. Dico horribile quoddam, atque tremendum: est ita malum demoniacos intus esse, sicut istos qui peccatorum sordibus polluntur: quos  
ait



ait Paulus Christum conculcare, & testamenti sanguinem ducere communem, & Spiritus gratiã contumeliã afficere. Multo igitur damo-  
 iaco peior est, qui peccati sibi conscius accedit: illi enim quoniã à damo-  
 ne vexantur, non puniuntur: qui verò indignè adeunt, aternis tra-  
 dentur tormentis. Omnes igitur simpliciter pellamus, quos indignè  
 accedere videmus. Nullus communicet, nisi ex discipulis sit, nullus  
 impuro animo, sicut Iudas panem assumat, ne similia patiatur. Cor-  
 pus Christi etiam hac multitudo est: quare cavendum tibi est, què  
 hac mysteria ministras, ne Dominum irrites, corpus hoc non purgan-  
 do, ne acutum gladium pro cibo prabeas. Sed si quidem aliquis præ-  
 vecordia & amentia mensam adiverit, nullo timore territus abije-  
 Deum, non hominem timeas: si hominem times, ab eo ipso, quem ti-  
 mes, derideberis: sin verò Deum, hominibus quoq; venerabilis eris.  
 Et paulo post: Animam prius tradam meam, quam Dominicum  
 alicui corpus indignè, sanguinem meum effundi potius patiar, quam  
 sacratissimum illum sanguinem præterquam dignum concedam: quod  
 si quis venerit cum sordibus ignoranter, nulla vestra culpa est, si mul-  
 tam prius adheveritis diligentiam. Nam hac mihi de notis, ac ma-  
 nifestis disputata sunt, quibus emendatis cito nobis Deus etiam igno-  
 tos notificabit: sin verò notos admitteremus, quã de causã ignotos vo-  
 bis manifestabit? Hec mihi dicta sunt, nõ ut coërceamus solum, & ex-  
 cidamus, sed ut corrigamus & reducamus, & curam omnium habe-  
 mus: sic enim & Deum nobis propitium faciemus, & eos multipli-  
 cabimus, qui dignè communicare possint, ut tam proprii studij ac dili-  
 gentiã, quam pia in alios cura magna præmia consequamur. Hæte-  
 nus Chrysostomus.

XXV. Unde etiam prisca Ecclesia valde hęc circum-  
 spectè egit, nec sine discrimine Sanctam Eucharistiam qui-  
 busvis porrexit. Ita enim de eã scribit Iustinus: ἡ ἑ-

δὲν ἄλλω μεταχειρῆν ἕξόν ἐστιν, ἢ τῷ πιστεύοντι ἀληθῆ εἶναι τὰ διδα-  
 σκόμενα ὑφ' ἡμῶν, καὶ λυσταμένω τὸ ὑπὲρ ἀφέσεως ἀμαρτιῶν καὶ

ἐἰς ἀναγέννησιν λατῶν, καὶ ἕτως βίβντι ὡς ὁ χριστὸς παρέδδκεν : Cuius  
 neminem fas est participem fieri nisi qui crederit, qua apud nos do-  
 centur, & ablutus sit lavacro quod institutum est pro remissione pecca-  
 torum & ad regenerationem, & sic vivat, quomodo Christus vivit  
 iussit.

XXVI. Tertio magnâ semper opus est prudentiâ & cau-  
 tē ubique agendum pastori Ecclesiæ, siquidem utilem ani-  
 marum sibi concreditarum curam instituere velit. Neq; enim  
 omnes auditores unô eôdemq; modo sunt tractandi, cum  
 non omnes unô eôdemq; sint ingenio. Insigne eâ de re mo-  
 nitum reperitur apud S. Gregorium Nazianzenum, qui Apo-  
 logetico suo itâ scribitur : *Quemadmodum non eadem medicamen-  
 ta, nec eadem alimenta corporibus quibusvis adhibentur, sed alia aliis,  
 habita videlicet vel sanitatis eorum vel adverse valetudinis ratione:  
 eôdem quoq; modo anima diversâ ratione ac disciplinâ curantur. Is  
 porrô curacionis testes sunt, qui morbis huiusmodi vexantur. Alios  
 sermo ducit: alij exemplo componuntur: Alij calcaribus opus habent;  
 alij freno. Nam qui segnes sunt, atq; ad bonum ægrè impelluntur,  
 hi verborum stimulis excitandi sunt: qui verò spiritus, quàm par sit,  
 ferventiores sunt, atq; effrenato quodam animorum impetu feruntur,  
 velut equulei generosi procul à metâ currentes, hos utiq; orationis  
 freno cœncere ac cohibere præstiterit. Alijs laudatio utilitati fuerit,  
 alijs reprehensio, utraq; videlicet tempestivè adhibita: aut contra detri-  
 mento, non tempestivè, & cum ratione adhibita. Alios cohortatio  
 ad officium dirigit: alios objurgatio: atq; hac rursus alios, si palam  
 arguantur; alios, si, remotis arbitris, admoneantur. Sunt enim  
 qui privatâ admonitione contemnunt, publicâ autem reprehensio-  
 ne ad officium revocentur: sunt rursus, qui liberius reprehensi, pu-  
 dorem omnem abstergant, contraq; occulta objurgatione meliores red-  
 dantur: ysq; quos vicem suam dolere percipiunt, hoc munus vi-  
 cissim*

rissim rependant, ut eorum admonitionibus pareant. *Quidam* etiam  
 ad minima usq; ac levissima observandi sunt; nimirum qui eò quòd  
 peccata sua obscura & incognita esse putant, (quandoquidem id mo-  
 liuntur tanquam sapientiores) animis inflantur; in quibusdam rur-  
 sus ad nonnulla conivere satius fuerit: Ita ut videntes non vide-  
 mus, & audientes non audiamus, quemadmodum dici solet, ne alio-  
 qui eos nimis crebris objurgationibus tanquam fluctibus obruentes,  
 ad desperationem incitemus, ac dissoluto tandem pudore, quòd per-  
 suasionis pharmacum est, ad quòd vis facinus audaciores reddamus.  
*Quin* etiã cum nonnullis ita agendum est, ut nò irascentes irascamur,  
 nò contemnētes contemnamus, non desperantes desperemus: quatenus  
 videlicet eorum natura id requirit. Alij rursus lenitate & humilitate  
 curandi sunt, atq; alacri animo unã cum illis meliorem spem indu-  
 endo. Alios vincere, ab alijs vinct plerumq; utilius fuerit: atq; a-  
 liorum opes & potentiam, aliorum inopiam & calamitatem, vel lau-  
 dare, vel deprecari. Neq; enim, quemadmodum in virtute ac vi-  
 tiores se habet, ut illa quidem semper pulcherrima & omnibus utilis-  
 sima sit, hoc autem turpissimum & perniciosissimum sit; eòdem mo-  
 do medicina quòq; nostra ratio ea est, ut unum idemq; medicamentum  
 isdem semper vel saluberrimum sit, vel periculosissimum; verbi gra-  
 tiã, acerbitas aut clementia, aut unumquodq; aliorum, qua modo à  
 nobis enumerata sunt. Verum alijs hoc medicinae genus bonum atq;  
 utile fuerit: alijs autem rursus contrarium medendi genus: prout,  
 opinior, vel res vel occasio tulerit, vel agrotantium deniq; mores ad-  
 miserint. *Quae* quidem omnia sermone distinguere, atq; ita ex eò  
 perspicere, ut tota medendi ratio in summam colligatur, impossibile  
 est, quantã unq; curã & diligentia ingenijq; sagacitate quisquam pol-  
 leat: in rebus tamen ipsis & experimentis curatrici rationi & medi-  
 co perspicua fiunt, In universum autem, illud apud nos constat, quòd  
 quemadmodum insublimi & pendulo sunt gradientibus, in hanc vel

illam partem deflectere, minime tutum est, nec etiam parva inclinatio parvum periculum affert, verum eorum salus in equilibrio posita est: ad eundem quoque modum utramvis in partem quispiam, sive ob vitæ improbitatem, sive ob imperitiam propenderit, haud leve periculum, tum ipsis tum ijs quibus praeest, imminet, ne in peccatum prolabantur. Quocirca viâ proculdubio regiâ ipsis incedendum est, ac circumspiciendum, ne vel ad dexteram, vel sinistram, velut in proverbio est, declinent. Itâ S. Gregorius Theologus.

XXVII. Quartò quum populi mores ad exemplum pastorum suorum ut plurimum conformentur non solum sufficienti scientiâ verbi divini instructi esse debent Ecclesiæ ministri sed etiam vitæ integritate præditi & ornati. Frustrâ enim planè est, cum vinosus, intemperans, incontinens & libidinosus temperantiam, continentiam & castitatem, avarus & turpis lucri cupidus liberalitatem, beneficentiam aut hospitalitatem, superbus & *αυτάδης* modestiam ac humanitatem, iracundus, pugnax & contentiosus mansuetudinem, lenitatem & malorum tolerantiam, opum admirator, divitiarum contemptum, ambitiosus, & dominandi cupidus humilitatem, luxui & voluptatibus deditus afflictionum tolerantiam, & fortunæ splendidæ amator patientiam in persecutionibus docere alios instituit. Atque hæc est causa, quare S. Paulus ad Timotheum & Titum scribens non doctrinam solum & fidei veritatem atque integritatem, sed morum imprimis etiam pietatem ac probitatem in doctoribus Ecclesiæ tantopere efflagitet. Loca sunt notiora quàm ut opus sit ea adscribere.

XXIIX. Rectè itaque S. Hieronymus epist. 2. ad Nepotianum: *Non confundantur, inquit, opera tua sermonem tuum, ut cum in Ecclesiâ loqueris, tacitus quislibet respondeat, cur ergo hæc, quæ dicis non facis?* Notum etiam est illud S. Gregorij Nazianzeni:

ἢ μὴ

ἢ μὴ διδάσκειν, ἢ διδάσκειν τῷ τρέπον.  
 Μὴ τῇ μὲν ἤλκειν τῇ δ' ἀπώθεισθαι χερσίν.  
 ἦ ττοι δέησι γὰρ λέγειν πρὸς τῶν ἀδελφῶν,  
 Γεαρθεὺς διδάσκει τὸ πλεον τοῖς ἐκλύτοις.

*Vel ne doceto vel doceto moribus,*

*Ne me trahas illa manu, pellas at hac.*

*Erit loquendum, si probè vivas, minus.*

*Sermone non tam quàm manu pictor docet.*

Idem Orat. paulò ante citatà : *Pudet me, inquit, illorum qui nibilo meliores vulgò, atq. utinam non etiam multo pejores, illotis, quod dicitur, manibus profanùq. animis rebus sanctissimè se ingerunt, & priusquam digni sint, ut ad res sacras accedant, sacrarium ipsam ambiunt, & circum sacrosanctam mensam sese invicem premunt ac protrudunt, tanquam non virtutis exemplum sed vicèus parandis occasionem & subsidium hunc ordinem esse judicent, ac non ministerium reddendâ rationibus obnoxium, sed imperium ab omni censura immune.* Et rursus : *Deinde ut etiam se aliquis ab omni peccati labe purum conferret, aut quàm maximè, haud tamen scio idne ei sufficiat, qui alios ad virtutem erudire parat. Neq. enim ab eo, qui hanc curam suscepit, hoc solum requiritur, ut malus non sit, (malum enim esse pleriq. etiam è vulgo turpissimum censent:) verùm etiam ut virtute præstet, juxta illud Scriptura præceptum, quo declinare à malo & bonum facere jubemur. Nec ut vitiosas animas tantùm expungat, verùm ut meliores etiam inscribat, ita ut magis virtute antecellat, quàm honore ac dignitate superet.* Idque tam necessarium esse censet, ut nisi ista quis sibi paret, melius esse dicat, si alijs, què aris peritiam præstent, salutis nostræ habenas concedamus, quàm imperiti aliorum auriga simus, atq. autè illis a quo animo substringamus, quàm imperitiam linguam moveamus. Hæc ille.

XXIX. Cæterùm nec Magistratum politicum cuiusque loci suo hîc officio deesse oportet, sed id operam dare, ut non solum disciplina Ecclesiastica in usum revocetur, sed etiam Ecclesia pios & eruditos ministros atque idoneos doctores deinceps semper habeat. Quâ fini publicis sumptibus, habito ingeniorum delectu, in scholis & Academijs alere debet, quos officijs Ecclesiasticis olim possit præficere. Multis enim profectò adminiculis & longo tempore ad solidam rerum divinarum cognitionem parandam opus est & errant longè, qui nihil facilius esse censent, quàm Ecclesiastici officij partes implere, ac proinde ad eam rem non adeò magnam requiri eruditionem. Aliter judicant, scio, quotquot non solum accuratioribus S. Theologiæ Studijs multum temporis & laboris impenderunt, sed etiam ipsum illud munus Ecclesiasticum eâ, quâ par est, fide ac diligentia aliquamdiu obierunt.

XXX. Ut autem hîc nunquã defint sumt<sup>9</sup> necessarij rectissime fecerint Magistrat<sup>9</sup> politici, si non siverint amplius *ex sacratio edere, qui sacris non operentur, & eum altari participare, qui altari non deseruiant*, id est, præcipuas & dignitates & opes, quas Ecclesiæ usibus & necessitatibus pia & munifica antiquitas indulset, sibi vindicare ejusmodi homines, qui nec in Ecclesiâ laborent, nec ingenio, consilio, studio & operâ, eam ut ut opis maximè indigam juvare possint aut cupiant. Reverà enim tales intercipient, quod fideles Ecclesiæ ministros & qui sanctis studijs operam dant, capere oportebat. Reddenda autem profectò tandem sunt Deo, quæ Dei sunt, nisi iram & indignationem ejus porrò in nos concitare velimus. Sed hæc obiter, & velut in transcursum.

XXXI. Redeamus nunc, unde sumus digressi. Diximus supra hominis conversi, fidelis & Christiani esse ut secundum præ-

præcepta divina actiones suas instituat atq; adeò piè & sanctè vivat, nisi statu gratiæ excidere & dona Spiritus sancti amittere velit. Sciendum autem est duplicia esse illa præcepta, quæ homo fidelis & renatus observare tenetur, alia videlicet affirmantia, alia negantia. Præcepta affirmantia obligant semper, sed non ad semper, sicut scholæ docent. Tum demùm sc. obligant, quando non solùm adest objectum, circa quod actus exercendus, sed etiam cætera sine quibus actus exerceri nequit. Declarabo rem uno atque altero exemplo. Jubet Apostolus 1. Tim. 6. v. 17. *Divitibus hujus seculi denunciari & præcipi ut sint benefici, ut divites sint operibus bonis, faciles ad impertendum, congerentes sibi pro thesauro fundamentum bonum in posterum, ut apprehendant æternam vitam.* Omnino igitur divites pauperibus benefacere tenentur, sed si occurrant pauperes & alienæ opis indigi, si autem, ut fieri potest, fidelis opulentus inter alios opulentos vivat, ubi nemo alienâ sublevatione indigeat, aut si aliquandiu saltim ejusmodi pauperes desint, aliter res habet. Nihilominus benè loquitur S. Augustinus serm. 72. de tempore : *fides, qua per dilectionem operatur, etsi non sit, in quo exterius operetur in corde tamen illa fervens servatur.* Et rursus : *Fides per dilectionem operatur in corde, etiamsi foris non exit in opere.* Semper scilicet parati sunt divites fideles, aut certè debent esse parati, opera misericordiæ præstare, modò sint, qui ea postulent. Similiter idem Apostolus Rom. 10. v. 10. ait. *Ore fit confessio ad salutem ; & 2. Tim. 2. v. 12. Si sustinuerimus, etiam conregnabimus, si abnegamus & ille abnegabit nos.* Nullum igitur dubium est, quin fidem nostram ore confiteri teneamur, si res poscat & gloria Dei flagitet, ut ut cum præsentissimo etiam capitis periculo *id fiat.* Interim fieri potest, ut aliquandiu sit nulla vel occasio vel necessitas ejusmodi confessionem edendi,

XXXII. Ità ut adhuc aliud exemplum adferam, quartum præceptum à nobis exigit, ut patrem & matrem honoremus ijsq; omnia pietatis officia præstemus, atq; omnem observantiam deferamus. Cessât autem obligatio isthæc, ubi parentes fuerint mortui. Patet verò ex his, quæ hæcenus diximus, contingere posse, ut homo servetur, quamvis hunc vel illum actum hoc vel illo præcepto affirmante injunctum nunquam reapse ediderit: Potest enim contingere, ut conversus post suam conversionem haud diu superfit atque interea defuerit objectum occasio vel copia actum præcepto aliquo affirmante imperatum exercendi; servabitur tum absque tali actu reapse præstito, & sufficit in ejusmodi casu, si habeat ille propositum & voluntatem præstandi, si fortè supervivât & res itaferat, adeoque honor DEI vel utilitas proximi postulet. Bene Hieronymus XI. Matth. *in lege opera requiruntur, quæ qui fecerit, vivet in eis, in Evangelio voluntas quaritur, quæ etiamsi effectum non habuerit, tamen præmium non amittit.*

XXXIII. Atque hæc est causâ quare nos Protestantes Catholici tantopere urgeamus hominem *sola fide justificari & salvari*, minimè verò, bona opera hic quicquam efficere. Quæ profecto doctrina ut solidum in scripturâ habet fundamentum, itâ veteribus nunquam fuit negata sed semper adferat, contra quàm à Pontificijs hodie fit. Audiatur nunc duntaxat S. Chrysostomus. Is oratione de fide & lege naturali & Spiritu sancto sic scribit: *ἀνευ ἔργων τὸν πῖσόν δύναμαι δεῖξαι καὶ ζῆσαντα καὶ βασιλείας ἀξιωθέντα. Ἐδὲς ἀνευ πίστεως ἔζησες. ὁ δὲ λησῆς πίστεως μόνον ἐδικαιώθη. καὶ μὴ μοι λέγε, ἔκ ἐσχε κληρὸν πολιτεύεσθαι. Ἐδὲ γὰρ ἐγὼ τὸ φιλοεικῶ ἀλλ' ἐκείνο παρέσηκα, ὅτι ἢ πίστις καθ' ἑαυτὴν ἔσωσεν. εἰ γὰρ ἐπέζησε τῇ πίστει καὶ ἔργων ἡμέλισην, ἐξέπεσε τῆς σωτηρίας.* *Sine operibus fidelem possum ostendere*



dere & vita & regno dignatum. Nemo sine fide vivit. At laico tantum credens justificatus est. Nec mihi dicas tempus recte vivendi non habuit; neg, enim id est, de quo disputo: Sed hoc apertum feci fidem etiam per se solam servare. Nam certe si supervixisset fidei, & operari bene neglexisset, excidisset à salute.

XXXIV. Cæterum præcepta negantia obligat semper & ad semper. Nullo enim loco vel tempore licitum est perpetrare, quod prohibent, idololatriam vel adulterium committere aut falsò proximum traducere, & calumniis proscindere. &c. Nec enim Deus pro filiis suis aut vult aut etiam, si infinitam eius justitiam spectemus, potest habere illos qui talia agunt seu consultò consiliò & datâ operâ perpetrant. Observandum verò præcepta affirmantia sive jubentia ita comparata esse, ut involvant negationem sive prohibitionem oppositi; & vicissim negantia vel prohibentia, ut præcipiant contrarium. Sic eo ipso quo præcipitur ut honorentur parentes prohibetur ne contemnantur aut contumeliâ vel injuriâ afficiantur: eo ipso quo prohibemur scortari, jubemur castè vivere: dum prohibemur luxuriâ litare, & inebriari vino, in quo est ἀσωτία, jubemur σωφρόνως nos gerere.

XXXV. Cæterum turpiter hîc olim statim sub initium Ecclesiæ non pauci errârunt. Simon magus hæreticorum Dux & antesignanus à veteribus prædicatur. *Omnes, ait, Irenæus, qui quoquo modo adulterant veritatem & præconium Ecclesiæ ledunt, Simonis Samaritani Magi discipuli & successores sunt.* Hic autem Simon nescio quam gratiam & libertatem sectantibus suis promittebat, per quam salvarentur, etiam si nihil boni operarentur: ita enim idem ille sanctus Doctor & Martyr de eo scribit: *Prophetas à mundi fabricatoribus angelis inspiratos dixisse prophetias* (ajebat) *quapropter nec ulterius curarent eos*

hi, qui in eum & Selenen ejus, spem habeant, & ut liberos agere, qua velint, secundum enim ipsius gratiam salvari homines, sed non secundum operas justas. Nec enim esse naturaliter (per se & naturâ suâ) operationes justas, sed ex accidenti (per accidens & ex hominum tantum opinione) quemadmodum posuerunt, qui mundum fecerunt angeli, per hujusmodi praecepta in servitutem deducentes homines quapropter & solvi mundum & liberari eos, qui sunt ejus, ab imperio eorum, qui mundum fecerunt, promissit. B. Theodoretus lib. I. fabularum hæredic. in princ. ita hoc exponit: Τὸς εἰς αὐτὸν πιστεύοντας ἐκέλευσε μὴ προσέχειν ἐκείνοις, μηδὲ φεῖσθαι τῶν νόμων τὰς ἀπειλὰς, ἀλλὰ φεῖσθαι ὡς ἐλευθέρους, ὅπερ ἂν ἐβλήσωσιν. ἢ γὰρ διὰ φράσεων ἀγαθῶν, ἀλλὰ διὰ χάριτος πύξεσθαι τῆς σωτηρίας, Eius qui in ipsum credebant, præcipiebat, non attendere illa (prophetis legem moralem subinde inculcantis,) nec cohorrescere ad illas legum comminationes, sed agere, utpote liberos, quacumq; vellent: nec enim per bona opera, sed per gratiam eos salutem consecuturos.

XXXVI. Eandem sententiam de indifferentiâ actionum bonarum & malarum Basilides jactabat: Contemnere enim suos jubebat & idolothya, & nihil ea arbutari, sed sine aliquâ trepidatione uti eis. Habere autem & reliquarum operationum usum indifferentem, & univere libidinû, sicut rursus S. Irenæus c. 23. tradit. Unde virus illud etiam ad Carpocratianos, seu Valentinianos & Gnosticos postea dimanavit, de quibus idem vir Apostolicus & occidentis lumen, ut eum Theodoretus vocat, cap. 24. sic scribit: In tantum insania effrenati sunt, ut & omnia, quacumq; sunt irreligiosa & impia, potestatem habere operandi se dicant: sola enim humanâ opinione negotia & mala & bona dicunt. Et cap. I. de ijs hæc habet: Nobis quidem (qui de Ecclesia sumus) rectè factus opus esse prædicant, nec, aliter posse nos salutem ob-

tinere:

zinerè: se verò nullius actionis beneficio, sed quod natura spirituales sint, omnino & omnibus modis salutis compotes fore statuunt. Sicut enim, quod terrenum est, salutis particeps fieri non potest; nec enim eam id recipere posse illi ajunt: sic contra quod spirituale est, cujusmodi se esse volunt utcumq; se gesserit, corrumpi nequaquam posse. Ac quemadmodum aurum in cænum abjectum pulchritudinem non amittit, sed citra ullam decoris injuriam naturam retinet: ita semetipsis offerunt, tametsi quibusvis in actionibus materialibus (carnalibus) versentur, nullum ex eo detrimentum capere, neq; spiritalem substantiam posse perdere.

XXXVII. Theodoretus lib. cit. cap. de Valentinianis omnia hæc ita contraxit: Dicunt se quidem solâ cognitione salvari, nos verò fide & bonis operibus, se autem operibus non indigere, cum sibi ad salutem sola cognitio sufficiat. Quapropter etiam qui perfectissimi apud eos sunt, quicquid legibus divinis vetitum est, intrepide faciunt: nam etiam paganorum festa celebrant, & idololatris vescuntur, & voluptatum studio inserviunt, & omnia mala sine discrimine perpetrant. Hæc Simoniani & Gnostici illi. Quibus addi possunt Nicolaitæ nihil illis meliores, imò spurciores etiam, si quid spurcissimis spurcius esse potest, de quibus Christus ipse Apoc. 2. 6. Hoc habes, quod odisti facta Nicolaitarum, quæ & ego odi. Et tamen hi omnes pro Christianis se venditabant, & magnam infamiam notam veris Christianis, etsi illi eis non communicabant, aliquamdiu inurebant, donec in multas sectas & formas divisi tandem sub oreum redirent, unde caput protulerant; sicut hæc Justinus Martyr dial. cum Tryphone & Euseb. l. 4. hist. Ecclesiast. cap. 7. docent, & nos quoq; supra monuimus.

XXXIII. Fidem cum his, vel ejusdem certè seminij erant, qui Paulinas epistolas pravè interpretantes fidem dice-

bant sine bonis operibus ad salutem ita sufficere, ut absque detrimento ejus studium bonorum profus possēt negligi. Unde etiam S. Augustinus asserit lib. de fide & operibus c. xiv. ceteros Apostolos propter has eorum corruptelas de industriâ doctrinam de studio bonorum operum cum fide Christianâ conjungendo præcipue epistolis suis tractare, quantum nec Paulus ipse eam prætermiserit. Verba magni Hipponensium Episcopi hæc sunt: *Quare jam illud videamus, quod excutiendum est à cordibus religiosi, ne malâ securitate salutem suam perdant si ad eam obtinendam sufficere solam fidem putaverint, bene autem vivere & bonis operibus viam Dei tenere neglexerint: nam etiam temporibus Apostolorum, non intelledis quibusdam subobscuris sententijs Apostoli Pauli, hoc eum quidam arbitrati sunt dicere: Faciamus mala, ut veniant bona, quia dixerat: Lex subintravit, ut abundaret delictum: ubi autem abundavit delictum, super abundavit gratia. Cum ergo dicit Apostolus, arbitrari se justificari hominem per fidem sine operibus legis, non hoc agit, ut perceptâ ac professa fide opera justitia contemnantur, sed ut sciat se quisq; per fidem posse justificari, etiam si legis opera non præcesserint. Sequuntur enim justificatum, non procedunt justificandum. Quoniam ergo hæc opinio tunc fuerat exorta, aliâ Apostolica epistola, Petri, Iohannis, Iacobi, Iuda, contra eam maximè dirigunt intentionem, ut vehementer adstruant, fidem sine operibus nihil prodesse, sicut etiam ipse Paulus non qualemlibet fidem, quâ in DEVM creditur, sed eam salubrem planèq; Evangelicam definiat, cujus opera ex dilectione procedunt: Et fides, inquit, quæ per dilectionem operatur. Vnde illam fidem, quæ sufficere ad salutem quibusdam videtur, ita nihil prodesse assererat, ut dicat: Si habeam omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum. Vbi autem hæc fidelis charitas operatur, sine dubio bene vivitur. Plenitudo enim legis chari-*

charitas. Vnde evidenter in secundâ epistolâ Petrus cum ad vitæ ac-  
torum sanctitatem hortaretur, mundumq; istum transiturum præ-  
nunciaret, cælos verò novos & terram novam expectari, qua justis  
inhabitanda tradetur, ut ex hoc attenderent, qualiter eos oporteret  
vivere, ut habitatione illa digni fierent, sciens de Apostoli Pauli qui-  
busdam subobscuris sententiis nonnullos iniquos accepisse occasionem  
ut tanquam securi de salute, qua in fide est, bene vivere non curarent,  
commemoravit quadam ad intelligendum difficillima esse in Epistola  
ejus, qua homines perverterent, sicut & alias scripturas, ad proprium  
suum interitum, cum tamen & ille Apostolus de salute æterna, qua  
nisi bene viventibus non daretur, eadem sentiret, qua ceteri Apostoli.  
Hæc Augustinus & hætenus de necessitate bonorum ope-  
rum seu studij pietatis.

C A P U T I I.

*Non posse hominem fidelem ab omni peccato im-  
munem in hac vitâ esse, nec propterea tamen statu  
gratia & salute excidere.*

I.

POTESt homo fidelis & renatus per gratiam Spiritus sancti à  
peccatis adversus conscientiam consultò & liberè commit-  
tendis abstinere, & eatenus bonam & illibatam conscientiam  
servare. Disertè enim S. Johannes 1. epist. 3. v. 9. *Quisquis  
natus est ex DEO, peccatum non facit*, q d. qui verè DEI filius est,  
ejusque spiritum habet, is peccato non dat operam, seu elatâ  
manû, ut Hebræi loquuntur non peccat, sed alienum est à ta-  
lis hominis ingenio studium peccandi, utpote quum sit ac esse  
se meminerit DEI filium ac proinde Deum sibi imitandum, ut  
nominis sui mensuram impleat.

II. Quam-

I I. Quamvis autem id longè sit verissimum, tamen contra & illud negari nequit ipsos quoque fideles & renatos sapissimè per imbecillitatem impingere, nec ab omni prorsus peccato immunes vivere posse. Unde idem S. Johan. cap. 1. v. 8. & 9. sic scripserat. *Si dixerimus nos peccatum non habere, nos ipsos fallimus & veritas in nobis non est. Si verò confiteamur peccata nostra, fidelis est & justus, ut remittat nobis peccata, & mundet nos ab omni iniquitate.* Præclare hoc loco S. Augustinus: *Non peccat homo, quamdiu carnem portat non habere vel levia peccata. Sed ista levia, qua dicimus noli contemnere. Se contemis, quando appendis, expavesce quando numeras. Levìa multa faciunt unum grande. Multe gutta implent flumen: multa grana faciunt massam. Et qua spes est? Ante omnia confessio: ne quisquam se dicat justum, & ante oculos DEI, qui videt, quod est, erigat cervicem homo qui non erat & est. Et paulò post: Dic hominibus, quid es, dic DEO, quid es. Quia si non dixeris DEO, quod es, damnat DEVS, quod in Te inveniet. Non vis ut ille damnet? Tu damna. Vis ut ille ignoscat? Tu agnosce.* Ita Augustinus.

I I I. Iterum autem S. Johannes: *si dixerimus, nos non peccasse, mendacem facimus eum & sermo ejus non est in nobis.* Idem etiam David Psalmo 19, v. 13. docet, cum ait: *Errores quis intelligit, ab occultis munda me.* Et Psal. 143, v. 2. inquit: *Ne ambules in jus cum servo tuo: nullus enim virtus coram Te justus est.* Imò Christus ipse manifestè hoc Ostendit, cum omnes sine discrimine orare jubet: *Dimitte nobis debita nostra.*

I V. Cæterum opera fortassis pretium est, eundem sententiam nonnullis ex antiquitate testimonij sive confirmare sive illustrare. Concilium Milevitanum: *Placuit, quod ait S. Iohannes Apostolus, si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus & veritas in nobis non est, quisquis sic accipiendum*

dum putaverit, ut dicat propter humilitatem oportere dici nos non habere peccatum, non quia veritas est, anathema sit. Sequitur enim, & Apostolus adjungit: Si autem confessi fuerimus peccata nostra, fidelis est & justus, qui remittat nobis peccata, & mundet nos ab omni iniquitate. Vbi satis apparet, hoc non tantum humiliter sed etiam veraciter dici. Poterat enim Apostolus dicere, si dixerimus, quia non habemus peccatum, nos ipsos extollimus, & humilitas in nobis non est. Sed cum ait nos ipsos decipimus, & veritas in nobis non est, satis ostendit, eum, qui se dixerit non habere peccatum, non verum loqui sed falsum. Item: Placuit, ut quicumque dixerit in oratione dominica id est dicere sanctos, dimitte nobis debita nostra, ut non pro se ipsis hoc dicant, quia non est eis jam necessaria ista petitio, sed pro alijs, qui sunt in suo populo peccatores, & id est non dicere unumquemque, sanctorum, dimitte mihi debita mea, sed dimitte nobis debita nostra, ut hoc pro alijs potius quam pro se justus petere intelligatur, anathema sit. Sanctus enim & justus erat Apostolus Iacobus, cum dicebat: In multis enim offendimus omnes. Nam quare additum est, omnes, nisi ut ista sententia conveniret & Psalmo, ubi legitur: Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Et in oratione sanctissimi Salomonis: Non est homo, qui non peccet. Et in libro Iob, In manu omnis hominis signat, ut sciat omnis homo infirmitatem suam. Unde etiam Daniel sanctus & justus, cum in oratione pluraliter diceret, peccavimus, iniquitatem fecimus &c. que ibi veraciter & humiliter proficitur, ne putaretur, quemadmodum quidam sentiunt, hac non de suis, sed de populi sui potius dixisse peccatis, postea dixit: Cum orarem & confiterer peccata mea & peccata populi mei Domino Deo nostro, noluit dicere peccata nostra, sed populi sui dixit & sua, quia futuros istos, qui iam male intelligunt, tanquam Prophetam praevidit. Item. Placuit, ut quicumque verba ipsa dominica orationis, ubi dicimus, di-

can. 7.

can. 8.

o

mitte

mitte nobis debita nostra, ita voluerit à sanctis dici, ut humiliter, non veraciter hoc dicatur, anathema sit. Quis enim ferat orantem, & non hominibus, sed ipsi Domino mentientem, qui labiis sibi dicit, dimitti velle, & cor de dicit, qua sibi dimittantur, debita non habere &

V. S. Hieronymus lib. 2. contra Pelagianos: *tustos esse concedo: sine omni autem peccato omnino, non adsentior.* S. Augustinus lib. 19. De civitate DEI cap. 27. *Ipsa quoque nostra iustitia quam vera sit propter veri boni finem, ad quem refertur: tamen tanta est in hac vita, ut potius peccatorum remissione constet, quam perfectione virtutum.* Idem de fide & operibus. *Nisi essent quadam sine quibus hac vita non agitur, non quotidianam medelam proponeret in oratione, quam docuit, ut dicamus, dimitte nobis debita nostra.* Quæ ex Cypriano sumpta videri possunt. Is enim sic de oratione: *Ne quis sibi quasi innocens placeat, cum innocens nemo sit, & se extollendo plus pereat, instruitur & docetur, peccare se quotidie, dum quotidie pro peccatis iubetur orare.* Eiusdem de nat. & gratia cap. 36. ad objectionem Pelagij hæc sunt verba: *Commemorat, inquit, eos, qui non modò non peccasse, verùm etiam iuste fecisse referuntur, Abel, Enoch, Melchisedech, Elisabeth, ipsam etiam Domini ac Servatoris nostri matrem, quam dicit sine peccato confiteri necesse esse putavi.* Excepta itaque sancta virgine Mariâ, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habere volo quaestionem. Vnde enim scimus, quod ei plus gratia collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, qua concipere ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum. Hæc ergo virgine excepta, si omnes illos sanctos & sanctas cum hîc viverent, congregare possemus & interrogare, utrum essent sine peccato, quid fuisse responsuros putamus, utrum id quod iste dicit, an quod Iohannes Apostolus? Rogo vos quantalibet fuerint in hoc corpore excellentiâ sanctitatis, si hoc interrogari potuissent, unâ voce clamas-



clamassent: si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. S. Gregorius lib. 32. moralium cap. 4. Nullus in hac vita, inquit, ita perfectus est, ut quamlibet DEO devotus sit, inter ipsa quantumcumq; pia vota non peccet. Et lib. 9. cap. 11. Sapè diximus, omnis humana iustitia iniustitia esse convincitur, si districtè judicetur: prece ergo post iustitiam (homo) indiget, ut qua succumbere discussa poterat, ex solâ iudicis pietate convalescat.

V I. Quamvis autem ex dictis satis superq; pateat, etiam sanctos peccare, idq; nemo nisi Pelagianus negare queat, tamen absit ut statuamus, eos propterea iustitiâ suâ excidere, aut gratiâ Dei & vitâ æternâ privari. Possent equidem Deus, si secundum primævi pacti rigorem agere & jure suo uti vellet renatos etiam propter peccata illa quotidiana, quæ effugere nequeunt ex numero filiorum suorum excludere & æternis pœnis addicere. *Vi enim pacti legalis maledictus est omnis, qui non permanferit in omnibus ijs, quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea.* Gal. III, v. 10. Cæterum quia omnes renati ac fideles, qui in Christum credunt & ex proposito ac studiosè non peccant, sub pacto sunt Evangelico, non vult benignissimus Dominus peccata, quæ ex merâ infirmitate committuntur, & pro mortalis hujus vitæ conditione vitari nequeunt, nobis imputare. *Nulla enim, ait S. Paulus Rom. 8. v. 9. est condemnatio ijs, qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem sed secundum Spiritum ambulant.* Etiam si itaq; fideles & renati in appetitu, quin & in voluntate patiantur rebelles, concupiscentiæ motus, & dubitationes in intellectu, atque adeo per imprudentiam & imbecillitatem non rarò impingant ac celsipitent, atque adeò delictis (ut Tertullianus de pudicitia loquitur) *quotidianæ incurrationis* omnes sint objecti, si tamen consensum non præbeant,

beant, nec opere compleant, quod carnis concupiscentia distat, non desinunt esse filij ac hæredes Dei.

VII. Nostrum autem omninò est, quotidianos istos defectus ac nãvos humiliter agnoscere, atque eorum veniam à Deo quotidie petere; utpote quod disertè nos facere iussit, ob cuius meritum omnis illa imbecillitas nobis non imputatur. Benè S. Augustinus cap. 70. Enchiridij ad Laurentium: *De quotidianis brevibus, levibusq; peccatis, sine quibus hæc vitã non ducitur, quotidiana oratio fidelium satisfacit. Eorum est enim dicere, pater noster, qui es in cœlis, qui jam patri tali regenerati sunt ex aqua & Spiritu sancto. Deleat omninò hæc nostra minima & quotidiana peccata.* Nostrum est præterea id dare operam, ut non regnare permittamus inordinatos istos concupiscentiæ & iracundiæ motus neque obtemperemus cupiditatibus carnis eas vel probando vel etiam reapse perficiendo. Bene Petrus Chrysologus serm. 113. Verba Pauli: *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore: exponens ait: Non dixit, non veniat ad nos: non dixit, non provocet, non tussit: sed non regnet, non dominetur; Constat ad vincens gloriam, dimicet & decidat ad triumphum victoris: & tandem se doleat impia peccati dominatio à servis quondam suis totã securitate calcari: & crudelis tyrannus ingemiscat subiectum se suorum pedibus captivorum: & ad eorum triumphum de quibus diu triumphaverat se veteranus hostis pervenisse deploret.* Saluberrimum etiam est Augustini monitum. tract. 41. in Joh. *Quamdiu vivis, peccatum necesse est esse in membris tuis: saltem illi regnum auferatur, non fiat quod jubet. Surgeet ira, noli dare irã linguam ad maledicendum; noli dare irã linguam ad maledicendum; noli dare manum aut pedem ad ferendum.* Huic monito omninò parere nos oportet. Id si facimus omnis res est in vado, nec necesse habemus metuere, ne indeliberati illi motus nos iræ diviniæ & æternæ damnationi denuò subjiciant.

IIX. Alia enim est conditio hominis extra gratiam sub pacto primæ legali, alia sub Evangelico in gratiâ constituti. Ibi enim cum eo agitur secundum rigorem legis, hic secundum *συνεργειαν* & indulgentiam divinam; atque adeo peccata, quæ ex merâ infirmitate citra plenum & deliberatum consensum committit, non impurantur. *Neq; enim fideles sub lege sunt sed sub gratiâ, ut scriptum est, Rom. VI, v. 14.* Præclare S. Augustinus conc. I. in Psal. 118. *In viâ fidei pro non peccantibus habentur, quibus peccata non imputantur.*

IX. Digna sunt adjici verba S. Bernhardi, qui serm. 23. in Cantica ita loquitur, *stat propositum DEI, stat sententia pacis super timentes eum, ipsorum & dissimulans mala, & remunerans bona, ut miro modo is non bona sed etiam mala caperentur in bonum. O solus verè beatus, cui non imputavit Dominus peccatum. Nam quis non habuerit peccatum? Nemo. Omnes enim peccaverunt, & egent gloriâ DEI. Quis accusabit eam adversus electos Dei? Sufficit mihi ad omnem justitiam solum habere propositum, cui soli peccavi. Omne quod ipse mihi imputare non decreverit, sic est, quasi non fuerit. i. e. non magis extra statum reconciliationis & amicitie divinæ ponit, aut cœlesti beatitudine excludit, quàm si peccatum non esset, aut perpetratum nunquam fuisset. Non peccare, Dei iustitia est; hominis iustitia, est indulgentia Dei.*

X. Interim, ut pridem monuimus & nunquam satis monere possumus, nullatenus probare debemus, ejusmodi motus carnales, quibus utut renati exagitamur, sed in illis compescendis strenuè adlaborare & omnem lapidem movere, ut quotidie in melius proficiamus. Credibile enim est, Christū Dominum non tantum voluntatis deliberatæ propositum ac machinationem nobis prohibuisse sed præcepisse, ut motus, simul atque sentiuntur, opprimere studeamus, vitando occa-

fiones omnes, quibus ali possint, quod *ἡ ἀπορία* ad dūs pedis, manus oculi abjectione, id est, eorum, quæ nobis plurimum cara sunt, damno, significanter admodum explicat Matth. 5, v. 29. Quin non quovis modo hæc præcepisse contentus poenam gehennæ aliter agentibus addit. Certè perfectius aliquid in Evangelio à Christianis exigi, quàm hodiè multis est persuasum, censuere veteres. Exemplo sit illud de foemina non appetendâ, quod prisca sic explicant. Justinus ad Zonnam & Serenū etiam *primum appetitus veluti fumum* ait, à Christo nobis interdicti. Athenagoras: *Nobis tantum abest talia indifferenter habere, ut ne adspicere quidem nobis ad cupiditatem liceat.* Clemens Alexandrinus: *Si quis ad corporis formam respiciat, & ei caro ad appetendum pulchra videatur, is, ut dicit Dei verbum, jam quia videt carnaliter & cum peccato admiratus est, ob id ipsum iudicatur.* Tertullianus de Velandis Virginibus: *Christianus salvis oculis foeminam videt: animo adversus libidinem cæcus est.* Et lib. de idololatria cap. 2. tum de hoc tum de alijs evangelicis præceptis sic loquitur: *Pleriq; idololatriam simpliciter existimant his solis modis interpretandam, si quis aut incendat, aut immolet, aut polluceat, aut sacerdotijs obligetur: quemadmodum si quis existimet adulterium in osculis, & in amplexibus, & in ipsâ carnis congressione censendum: aut homicidium in solâ sanguinis profusione, & in animæ ereptione reputandum. At enim Dominus quàm extensus ista disponat certi sumus, cum adulterium etiam in concupiscentia designat, si oculum quis impegerit libidinosè, & animam commoveris impudicè: cum homicidium etiam in verbo maledicti vel convitij iudicat, & in omni impetu ira, & in negligentia caritatis in fratrem; sicut Iohannes docet, homicidam esse, qui oderit fratrem. Alioquin in modico consisteret & diaboli ingenium de malitiâ, & DEI Domini de disciplinâ, quâ nos adversus Diaboli latitudines mu-*

nes munit, si in his tantum delictis judicaremur, qua etiam nationes decreverunt vindicanda. Quomodo abundabit justitia nostra super scribas & Phariseos, ut Dominus præscripsit, nisi abundantiam adversaria ejus, id est, injustitia perspexerimus. Laetantius: Non tantum adulterium esse vitandum præcepit, sed etiam cogitationem, ne quis aspiciat alienam & animo concupiscat. Adeoque novum simul & grave visum est Judæis hoc præceptum & quæ huic sunt genera, ut dicere non dubitaverit justino doctissimus illorū Thryphon: *Vestra autem illa in Evangelio præcepta ad eò scio esse magna & mirabilia, ut putem neminem ea posse observare.* Nimirum non cogitans: *apud homines hoc impossibile est: apud Deum autem omnia possibilia sunt.* Matth. XI, 26. Nempe Deus propter Christi meritum numquam nobis suâ deesse vult gratiâ, cujus beneficio resistere possimus ejusmodi tentationib⁹, & sit illâ repugnandi consuetudine paulatim, ut motus isti debellati, non audeant tantâ vehementiâ resurgere. Hæc est pulchra illa victoria, de quâ supra ex epist. Johan. cap. 5. v. 4. 5. egimus.

XI. Tùm verò præcepta Christi per se sunt talia ut naturæ humanæ quatenus humanæ id est ut rationali convenient, quippe in diligendo Deo & hominibus sita, ita ut si par ponatur consuetudo, unius hominis ad rectè vivendum, alterius ad flagitia, sine dubio multò dulcior & jucundior sit futura vita, quæ secundum virtutem instituitur, quàm quæ in vitijs transigitur. Gravissima enim tributa pendunt, & durissimam servitutem serviunt, qui ambitioni, qui avaritiæ, qui libidini serviunt. Unde S Chrysostomus: *δυσκολώτερον ἢ χρεῖα τῆς ἀπειρίας.* Hinc Christus ipse Matth. XI, v 30. *Iugum meū facile est, & onus meum leve est.* Quod optimus ejus interpres Johannes I. Epist. 5. v. 3. ita explicat: *præcepta ejus gravia non*

*non sunt.* Non sunt scilicet gravia ijs, qui Spiritu Dei aguntur, nec ullam homini molestiam creant, modo is feriam illis fervandis operam det & in hoc exercitio, assidue occupetur. Scitè Salvanus: *Quid namq. à nobis exigit, quid præstari sibi à nobis jubet, nisi solam tantummodo fidem, castitatem, humilitatem, sobrietatem, misericordiam, sanctitatem, qua vivit, omnia non onerant nos, sed ornant.* Et lib. 4. contra avaritiam. *Durum est avaris, ut largiantur sua. Quid mirum? Totum durum est quicquid imperatur in vitis. Penè omnis sermo divinus habet amulos suos: quot genera preceptorum sunt, tot avversariorum. Si largitatem esse in hominibus jubet Dominus, avarus irascitur: Si Parsimoniam exigit, prodigus execratur: sermones sacros improbi hostes suos dicunt: horrent raptores, quicquid de justitia scribitur: horrent superbi, quicquid de humilitate mandatur: aversantur ebriosi, ubi sobrietas indicitur: detestantur impudici, ubi castitas imperatur. Aut nihil ergo dicendum est. Aut quicquid dictum fuerit, cuiusq. supra dictorum hominum displicebit. Nam vult quilibet improbus execrari legem, quam emendare mentem: nam vult præcepta odisse, quam vitia. Inter hæc quid agant, quibus loquendi à Christo officia mandantur? Deo displicent, si tacent: hominibus, si loquuntur. Sed ut Iudæis Apostoli responderunt: Expedi magis Deo obedire, quam hominibus. Do tamen consilium omnibus, quibus gravis & onerosa est lex Dei, si accipere non recusant, quemadmodum placere eis possint, quæ Deus præcipit. Cuncti enim qui oderunt mandatum sacrum, causam odij in seipsis habent: omne fastidium non in præceptis legis sed in moribus suis. Lex quippe bona est; sed mores mali: ac per hoc mutant homines propositum & adfectum suum. Si enim mores suos probabiles esse fecerint, nihil ex eis, quod lex bona præcipit, displicebit. Quando enim bonus quis esse ceperit, non potest non diligere legem Dei, quia hoc intra se habet lex Dei sancta, quod sancti homines in moribus.*

XII. Quid igitur & quantum homo renatus per Spiritus sancti auxilium præstare possit, quid item non possit breviter hucusq; ostendere sumus conati. Unum adhuc locum, qui ad hanc rem faciat, ex S. Augustino adjiciemus, & sic huic capiti finem imponemus. Is igitur exposit: epistolæ ad Gal. ad verba Apostoli: *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicationes, immundicia, idolorum servitus, veneficia, inimicitia, contentiones, animositates, amulationes, dissensiones, hereses, invidia, ebrietates, comestationes, & his similia, quæ prædico vobis, sicut prædixi: quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.* Ita commentatur: *Agunt hæc qui cupiditatibus carnalibus consentientes facienda esse decernunt, etiamsi ad implendum facultas non datur. Caterum qui tanguntur hujusmodi motibus & immobiles, & in majore caritate consistunt, non solum non eis exhibentes membra corporis ad malè operandum, sed neq; nutu consensionis ad exhibendū consentientes: non hæc agunt, & ideo regnum Dei possidebunt. Non enim jam regnat peccatum in eorum mortali corpore, ad obediendum desiderijs ejus, quamvis habitet in eorum mortali corpore peccatum nondum extincto impetu consuetudinis naturalis, quia mortaliter nati sumus & propria vita nostra, cum & nos ipsi peccando auximus quod ab origine peccati humani damnationisq; traheremus. Aliud est enim, non peccare: aliud, non habere peccatum. Nam in quo peccatum non regnat, non peccat: id est, qui non obedit desiderijs ejus. In quo autem non existunt omnino ista desideria, non solum non peccat, sed etiam non habet peccatum. Quod etiamsi ex multis partibus in ista vita possit effici, ex omni tamen parte non nisi in resurrectione carnis atq; commutatione sperandum est.*

## CAPUT III.

*Hominem renatum & in statu gratia positum non posse per vires nature sibi relictas ita vivere, quemadmodum ab ipso requiratur, sed ad id speciali Dei gratiâ indigere.*

## I.

**U**T restota eò manifestior reddatur, tribus eam expedire adfertionibus conabimur, quarum prima hæc esto: *Homorenatus & in statu gratia positus non potest per vires nature sibi relictas omnes illos actus, qui ab ipso requiruntur, prestare.* Probat; quia nonnulli actus, quos prestare tenetur, toto genere & secundum substantiam suam sunt supernaturales, quales sunt (fides enim in tali homine, de quo nunc agimus, præsupponitur:) spes & dilectio. Oportet enim fidelem sperare secundum divinas promissiones æternam tam corporis quàm animæ beatitudinem, & Deum tanquam ejus largitorem venerari & diligere, idq; constanter, & durabiliter. Quis autem non videt, hos actus secundum speciem suam esse supernaturales: Non præstantur igitur per vires nature sibi relictas, sed proficiuntur à DEI gratiâ & Spiritu sancto in fidelib<sup>9</sup> habitante. Argumentũ potest fieri tale: Omnis actus supernaturalis principium quoq; habet supernaturale, utpote quum principium eiusdẽ cum actu esse ordinis oporteat: Atq; spes & dilectio sunt actus supernaturales. E. Minor probatur: Quemadmodum enim ex lumine naturali non constat Deum reverà non solum animæ, sed etiam corpori æternam collaturum esse beatitudinem: ita etiam actus, quo id ipsum speratur & actus, quo Deus tanquam donator tanti boni diligitur, secundum



dum speciem suam, non possunt esse naturales: Relinquitur itaque esse supernaturales, id quod erat probandum. Huc pertinet illud Apostoli. 2. Cor. 3, v. 10. *Non sumus idonei ex nobis ipsis ad cogitandum quicquam, tanquam ex nobis ipsis, sed quod idonei sumus, id ex Deo est.*

II. Secunda advertio: *Ne ipsam quidem universam naturam legem potest homo Christianus per vires naturae sibi relictas semper & in omni casu servare.* Ea enim est Daemonis malitia, ut nunquam desinat in vires hominis impetum facere, ejusque concupiscentiam provocare & irritare. Sobrius estote, ait Petrus Apostolus 1. Epist. 5, v. 8. *vigilate: nam adversarius ille vester Diabolus, ut leo rugiens, obambulat, quarens quem devoret.* Hinc verò non potest non tanta oriri universae legis servandae difficultas, quantum homo suis viribus superare nequeat. Planè enim impares sumus, si nobis relinquamur, tam validae & versutae nequitiae. Servator itaque cum Apostolos tum nos jussit precari, ne in tentationem incidamus Matth. 6, v. 13. & 26, v. 4. Quin manifestissime à Johanne est declaratum, propriam esse fidelibus victoriam, de qua 1. epist. cap. 5, v. 4. sic loquitur: *Quicquid natum est ex DEO, vincit mundum: quia videlicet concupiscentiae & peccatis non succumbit: Et haec est victoria, quam vicit mundum, nempe fides nostra.*

III. Ut autem hunc Johannis locum, ita quoque superiora dicta accipimus non tantum de tentatione, quam unusquisque tentatur, dum à propria cupiditate abstrahitur, & incitatur Jacob. 1, v. 14. sed vel maxime de ea, cui se immiscet, & cooperatur Daemon. Potissimum enim in tentandis hominibus utitur cum sua ipsorum concupiscentia, tum objectis, quae mundus suppeditat, puta non solum bonis, quae ille ostentat & promittit, sed etiam malis, quae intentat & minatur,

tur, utpote quibus in primis plerique à DEI cultu, ab amore Christi, à studio veritatis & pietatis se avelli patiuntur. Non tamen negamus, quin, ut Spiritus, subtiliore etiam modo, & qui à nobis forte satis explicari nequeat, animos hominum movere & cogitationes ijs injicere valeat.

IV. DEUS igitur is est, *qui non finis nos tentari, supra quod possumus, sed unà cum tentatione prestat exitum, ut possimus sufferre, quemadmodum loquitur Apostolus I. Cor. 10. v. 13. Unde rectè S. Augustinus epist. 106. autoritate Synodi Palæstinæ contra Pelagium habitâ docet & confirmat, quando contra tentationes concupiscentiasq; illicitas dimicamus, quamvis & illic habeamus propriam voluntatem, non tamen ex illâ, sed adjutorio DEI nostram provenire victoriam.*

V. Denique ea est appetitus sensitivi perversitas, ea quoq; intellectus infirmitas & voluntatis mutabilitas, ea verò contra faciendorum fugiendorumve diversitas, & multitudo, ut ex his ita conjunctis facilè appareat, non posse hominem suis viribus universam legem naturæ semper & in omni casu servare.

VI. Quamvis itaque valeat vitare singula peccata distributivè sumpta, non tamen potest vitare omnia, si sumantur collectivè. In collectione enim & multitudine agendorum & vitandorum collatâ cum infirmitate & pravitate virum humanarum residet illa difficultas sive impossibilitas moralis semper rectè agendi, & servandi omnia præcepta. Scilicet totum illud collectivum est aliquid improporionatum voluntati sibi relicte. Atque hinc est, quod stare potest impotentia moralis ad totum collectivum quoad hanc vel illam partem vagam & indeterminatam, cum potentiâ Physicâ aut morali ad distributivum quoad singulas ejus partes determinatas,

natas, sive quod idem est, stare potest potentia ad vitanda singula peccata in quocunque temporis momento cum impotentia ad vitanda omnia diuturno tempore. Hoc ipsum autem determinari non potest, ita ut detur vel tantum tempus in quo toto queat vitare & in quocunque majore nequeat, vel tantum in quo toto nequeat & in quocunque minore possit. Partem enim illam collectivam dicimus vagam & indeterminatam. Fieri quidem nequit, quin in aliquâ parte, quâcunque sit, occurrente hac vel illâ tentatione aut difficultate, adversus hoc vel illud præceptum peccet: cum tamen, si quâcunque pars determinatè sumatur, non necesse sit in illa determinata parte eum peccare. Est verò impotentia & impossibilitas vitandi omnia peccata collectivè, etiamsi successivè non physica & absoluta sed moralis, sive est difficultas tanta, de qua meritò perpensis omnibus circumstantiis judicamus, quod superari nequeat. Nempe spectatâ humanæ naturæ fragilitate, spectatâ difficultate, quæ in frangendis cupiditatibus cernitur, spectatis occasionibus, quæ ad peccandum invitant, fieri nequit, quin aliquando in hac aut illa parte longi alicujus temporis, occurrente hac aut illa occasione vel difficultate, in implendo hoc aut illo præcepto liberè atque adeo suâ sponte succumbat.

VII. Deinde hominis Christiani est, ipsos illos actus lege naturæ præceptos ad finem simpliciter ultimum & supernaturalem referre. Ad hoc verò itidem est opus gratiæ & auxilio Spiritus sancti, ut nemini non est manifestum. *Sine me nihil potestis facere*, inquit Christus Joh. 15. v. 5. Et Paulus scribit Philip. 2. v. 13. *Deus is est, qui efficit in nobis & ipsum velle & perficere*. Quapropter perperam olim statuerunt Pelagius & Celestius seculo quinto exorti, tantas adhuc post lapsum esse

vires naturales, ut per eas universam legem DEI usque ad finem vitæ perfectæ servare, imò etiam omnia in universum ad salutem necessaria præstare queamus.

IIX. Novum profecto & antea inauditum tunc temporis hoc in Ecclesiâ erat dogma. Ita enim diserte Vincentius Lerinensis c. 34. *Quis unquã ante profanum illum Pelagium tantam virtutem liberi presumpsit arbitrii, ut ad hoc in bonis rebus per actus singulos adjuvandum, necessariam Dei gratiam non putaret?* Unde etiam Ecclesia Catholica tamquam hæreticam istam adfessionem statim damnavit. Adiciemus nos capitula huc facientia duorum maximæ auctoritatis conciliorum Milevitani & Arausicani, quorum illud Pelagianis ex adverbo, hoc verò etiam Semipelagianis fuit oppositum. Milevitanum itaque Arcadio & Honorio quinto Consulibus, anno æræ & Innocentio primo Pontifice celebratum Can. 4. in hunc modum pronunciat: *Quisquis dixerit gratiam DEI, per Iesum Christum Dominum nostrum, propter hoc tantum nos adjuvare ad non peccandum, quia per ipsam nobis revelatur & aperitur intelligentia mandatorum, ut sciamus, quid appetere, quid vitare debeamus, non autem per illam nobis præstari, ut quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus atque valeamus, anathema sit.* Quum enim dicat Apostolus, scientia inflat, charitas verò adificat; valde impium est, ut credamus ad eam, quæ inflat, nos habere gratiam Christi, ad eam quæ adificat, non habere: quum sit utrumque donum Dei, & scire quid facere debeamus, & diligere, ut faciamus, ut adificante charitate scientia non possit inflare. Sic autem de DEO scriptum est, qui docet hominem scientiam; ita etiam scriptum est, Caritas ex Deo est. Et can. 5. *Quicumque dixerit, ideo nobis gratiam justificationis dari, ut quod facere per liberum subemur arbitrium, facilius possimus implere per gratiam, tanquam etsi gratia non daretur, non quidem facile, sed tamen possimus etiam sine illa*  
imple-

*implere divina mandata, anathema sit. De fructibus enim mandatorum Dominus loquebatur, ubi non ait, sine me difficilius potestis facere; sed ait, sine me nihil potestis facere.*

I X. Araucanici verò anno **IOXXIX.** habiti **Can. 9.** hæc sunt verba: *Divini est muneris, quum & rectè cogitamus, & pedes nostros à falsitate & injustitià continemus. Quoties enim bona agimus, Deus in nobis atq. nobiscum, ut operemur, operatur.*

**Can. 16.** *Nemo ex eo, quod videtur habere gloriatur, tanquam non acceperit; aut idèd se putet accepisse, quia litera extrinsecus, vel ut legitur, apparuit, vel ut audiretur, sonuit. Nam sicut Apostolus dicit, si per legem iustitia, ergo Christus gratis mortuus est. Ascendens in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus. Inde habet, quicumq. habet. Quisquis autem inde se habere negat, aut verè non habet, aut id quod habet, auferetur ab eo.*

**Can. 20.** *Multa in homine bona fiunt, qua non facit homo. Nulla verò facit homo bona, qua non Deus prestet, ut faciat homo.*

**Can. 25. & ultimo:** *Prorsum donum Dei est, diligere Deum. Ipse, ut diligeretur, dedit, qui non dilectus diligit. Dissidentes amati sumus, ut fieret in nobis unde placeremus. Diffundit enim caritatem in cordibus nostris Spiritus Patris & Filij, quem cum Patre amamus, & Filio.*

*Ac sic secundum suprà scriptas sanctarum Scripturarum sententias, vel antiquorum Patrum definitiones, hoc, Deo propitiante, & predicare debemus & credere, quod per peccatum primi hominis, ita inclinatum & attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut nullus postea aut diligere DEUM, sicut oportuit, aut credere in Deum, aut operari propter DEUM, quod bonum est, possit, nisi gratia eum & misericordia divina prævenerit &c. & tandem subjicitur.*

*Hoc etiam secundum fidem catholicam credimus, quod acceptà per baptismum gratià omnes baptizati, Christo auxiliante & cooperante,*  
*qua*

*quæ ad salutem pertinent, possunt & debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere.*

X. Notandum verò est, ut suprà jam innuimus, etiam Patres antiquiores, qui ante Pelagium vixerunt, hanc de gratiæ necessitate doctrinam agnovisse & inculcasse. Quamvis enim nonnulli eorum libertatem ad bonum homini interdum tribuant, propterea tamen non negârunt, ut, teste doctissimo Vossio, haud adspersandæ eruditionis viris est persuasum, necessitatem gratiæ, sed vel de naturalibus & moralibus, quatenus ea in finem naturalem referuntur, solum agunt, vel si quando de operibus pietatis, & ijs, quæ ad DEUM pertinent, sermo sit, communiter & indefinitè voluntatem hominis considerant minimè distinguentes, quid possit ex viribus naturæ, quid item ex viribus gratiæ, sed tantummodò eam homini tribuentes naturam, per quam & ante gratiam opus aliquod moraliter bonum agere queat, & post vires gratiosè acceptas credere vel non credere, deligere DEUM, ut oportet, vel non diligere possit.

XI. Cæterum verum esse, quod diximus, videlicet etiam antiquissimos illos patres adseruisse, quod nobis gratia divina tum ad rectè credendum (quâ de re nos nunc tamen præcipuè non quærimus, utpote agentes de homine, in quò fidem præsupponimus,) tum ad piè vivendum ac rectè ubique agendum, sit necessaria, paucis comprobatum dabimus. Justinus dial. cum Tryphone docet externam verbi prædicationem aut scripturarum lectionem minimè sufficere, sed insuper requiri internam Spiritus illuminationem. Verba ejus hæc sunt: *Tum ego, num putatis, ô viri, nos umquam hæc in scripturis intelligere potuisse, nisi voluntate Dei, ut ista intelligeremus, volentis gratiam accepissemus; Si autem juxta Justinum nemo potest*

potest intelligere, quæ scriptura docet, sine peculiari Dei gratiâ, nemo juxta eundem etiam agere potest, quæ agenda esse illa inculcat. Irenæus eleganter lib. 3. cap. 19. *Sicut arida terra, si non percipiat humorem, non fructificat: sic & nos lignum aridum, existentes primùm, nunquam fructificaremus vitam supernâ voluntariâ pluriâ.* Per supernam pluviam sanctissimus ille Martyr intelligit Spiritum sanctum, ut ipse se interpretatur. Clemens Alexandrinus lib. 5. stromat. *Oportet mentem habere sanam, & qua nullâ retardetur pœnitentiâ à boni venatione: ad quod quidem maximè divinâ opus habemus gratiâ, rectâq; doctrinâ, castâq; & mundâ animi affectione & patris ad ipsum attractione.* Origenes lib. 3. de principijs c. 1. *Vix mihi suadeo, quod possit ullum opus esse, quod ex debito remunerationem Dei deposcat, quum etiam hoc ipsum, quod agere aliquid possumus, vel cogitare, vel proloqui, ipsius dono & largitione faciamus. Quod ergo erit debitum illius, cujus gratia nos precessit?* Tertullianus de animâ cap. 21. *Non dabit arbor mala bonos fructus, si non inseratur, & bona malos dabit, si non colatur, & lapides filij Abrahæ fient, si in fidem Abrahæ formentur; & gemina viperarum fructum pœnitentiæ facient, si venena malignitatis exspuerint. Hæc erit vis divina gratia, potentior utiq; natura, habens in nobis subjacentem sibi liberam arbitrij potestatem.*

XII. Cyprianus ad Donatum epist. 1. scribens, gratiam Dei per baptismum sibi collatum supra modum commendat ejusq; beneficio prorsus se immuratum adserit. Cum primis notari merentur hæc verba: *Ergo quum in tenebris atq; in nocte jacerem, cumq; in salo jaculantis sæculi nut abundus ac dubius vestigijs oberrantibus fluctuarem vitæ meæ nescius, veritatis ac lucis alienus, difficile prorsus ac durum pro illis tunc moribus opinabar, quod in salutem mihi divina indulgentia pollicebatur, ut quis renasci denud posset, utq; in novam vitam lavacro aquæ salutatis animatus, quod*  
Q prius

prius fuerat, exponeret: corporis licet manente compage, hominem  
 animo ac mente mutaret. Quis possibilis, aiebam, est tanta conver-  
 sio: ut repente ac perniciousiter exuatur, quod vel genuinum situ mate-  
 ria naturalis obduruit, vel usurpatum diu senio vetustatis ino-  
 leuit? alta hac, & profundâ penitus radice sederunt. Quando  
 Parsimoniam discit, qui epularibus cœnis & largis dapibus assuevit?  
 Et qui pretiosa veste conspicuus in auro atque in purpura fulsit, ad ple-  
 bejū se ac simplicem cultum quando deponit? Fascibus ille oblecta-  
 tus & honoribus, privatus & inglorius esse non potest. Hic stipen-  
 dit clientium cunctis, frequentiore comitatu officiosi agminis hone-  
 stus, pœnam putat esse cū solus est: tenacius semper illecebris assue-  
 tum, necesse est, ut solebat, vinolentia invitet, inflat superbia, ira-  
 cundia inflammet, rapacitas inquietet, crudelitas stimulet, ambitio  
 delictet, libido precipitet. Hac egomet sepe mecum: nam ut ipse  
 quamplurimis vitâ prioris erroribus implicatus tenebar, quibus exiis  
 me posse non crederem: Sic vitij adhaerentibus obsecundans eram,  
 & desperatione meliorum malis meis veluti jam proprijs ac vernaculis  
 adfavebam. Sed postquam unde genitâlis auxilio superioris avi la-  
 be deterfa, in expiatum pectus ac purum, de super lumen infudit, post-  
 quam cœlius spiritu hausto in novum me hominem nasci vitas secun-  
 dare paravit: mirum in modum protenus confirmare se dubia, patere  
 clausa, lucere tenebrosa: facultatem dare, quod prius difficile vide-  
 batur: geri posse, quod impossibile putabatur, ut esset agnoscere ter-  
 renum fuisse, quod prius carnaliter natum delictis obnoxium viveret:  
 Dei esse cœpisse, quod jam Spiritus sanctus animaret. Scis ipse pro-  
 fecto, & mecum pariter recognoscis, quid detraxerit nobis, quid ve-  
 contulerit mors ista criminum, vitâ virtutum. Scis ipse, nec pradi-  
 co, in proprias laudes odiosa jactatio est: quamvis non jactatum pos-  
 sit esse, sed gratum quicquid non virtuti hominis ascribitur, sed de  
 Dei munere pradicatur, ut jam non peccare esse cœperit fidei, quod an-  
 te pes-



re peccatum est, fuerit erroris humani. Dei est, inquam, Dei omne quod possumus: inde vivimus, inde pollemus, inde sancto & vigore concepto, hic adhuc positi futurorum indicia praeoscimus. Si tantum timor innocentia custos, ut Dominus qui in mentes nostras indulgentia caelestis allapsu clementer influxit, in animi oblectantis hospitio justa operatione teneatur, ne accepta securitas indulgentiam patriat, & vetus denuò hostis obrepat.

XIII. Idem lib. III. ad Quirinum n. 4. In nullo gloriam dum, quando nostrum nihil est. S. Basilius M. homil. XXXI. suum de libero arbitrio sermonem sic auspicatur: *Quibus inest divina lex, non atramento & literis inscripta, sed spiritu Dei viventis: nec tabulis lapideis impressa, sed tabulis cordis carnalibus insita: illi mentis oculis illuminati, ac semper non sensibili aut visibili, sed spiritali spe affecti, exactè sciunt, quàm impossibile sit proprijs viribus offendicula versuti hostis vincere, nisi insuperabilis potentia Dei succurrat. Qui verò verbi Dei honore cumulati non sunt, ij frustra inflati, libero se putant arbitrio, peccati occasiones abolere posse, quod per solum crucis mysterium aboletur. Liberum enim illud quod in potestate hominis est arbitrium, in eo situm est, ut velis vel nolis resistere Diabolo, non in eo quod possis penitus adversus affectiones imperium obtinere. Nisi enim Dominus custodierit civitatem, aut edificaverit domum, frustra vigilat custos, & frustra laborat aedificans. Impossibile namq. est ambulare super aspidem & basiliscum, & calcare leonem & Draconem, eum, qui non prius seipsum, quatenus homini possibile est, repurgavit, ut possit corroborari ab eo qui Apostolis dixit: Ecce dedi vobis potestatem calcare supra serpentes & scorpiones, & supra omnem virtutem inimici. Siquidem enim humana natura extra Spiritus sancti armaturam diaboli insidijs resistere posset, utiq. ab Apostolo dictum non esset. Deus autem pacis conteret Satanam sub pedes vestros brevi. Et iterum: Quem Dominus le-*

*sus interficiet spiritu oris sui. Quapropter & iusti sumus precari Dominum, ne ingrediamur in tentationem, sed ut liberet nos à malo. Nisi enim potentiori auxilio ab ignitis mali hostis jaculis liberati, adoptionem filiorum Dei promeruerimus, inanis erit conversationis nostra conatus, utpote procul à virtute crucis distitus. Itaq; qui divina gloria particeps esse, & quasi in mundo quodam speculo formam Christi menti sue infusam videre cupit, opus habet, ut amore insatiabili, & animi affectu inexplebili, ex omni corde & virtute, noctes atq; dies, divina potentia auxilium ambiat. Ita etiam Magnus Basilus. Pluribus testimonijs vix opus est. Nolumus itaque ex alijs nunc plura adferre.*

XIV. Sicut autem hæc, quæ diximus verissima sunt, & rectè quoq; in Concilio Palæstino adsertum, *gratiam DEI & adiutorij, ad singulos actus dari*, quæ de re S. Augustin<sup>9</sup> epist. 106. videri potest: ita negari fortassis è contrario illud nequit, hominem Christianum suis viribus minimùm aliquos actus secundùm legem naturæ præstare posse, qui saltem DEO tanquam auctori naturæ placeant. Nisi enim id fieri possèt, frustra profectò lex naturæ inscripta esset nostris cordibus. Unde experientia docet, ipsos Ethnicos multa fecisse, quæ lex naturæ jubet. Ita Ænæas Trojanus grandævo patri ipse succollavit, ut incendio urbis & hostium telis eum eriperet: Ita Scipio Africanus sponsam hostis sui attingere non fuit ausus: Ita M. Attilius Regulus jusjurandum Carthaginensibus datum, etiam cum præsentissimo exitio servavit. Omnino autem consentanei sunt hi actus legi naturali, utpote quæ jusjurandum servare, parentes diligere & temperanter ac justè vivere præcipit. Quin multi ita virtutes sectati sunt, ut nec cupere ea, nec desiderare, quæ honestati adversantur, licere censerent. Unde Cicero lib. 3. de officijs, *nequidem deliberandum esse*

esse iudicat de ijs, quæ inhonesta sunt; Hoc quidem deliberantium genus, inquit, pellatur è medio (est enim totum sceleratum & impium) qui deliberant, utrum id sequantur, quod honestum esse videant, an se scientes scelere contaminent: In ipsa enim dubitatione facinus inest, etiamsi ad id non pervenerint. Ergo ea deliberanda omninò non sunt, in quibus est turpis ipsa deliberatio. Atque etiam in omni deliberatione celandi & occultandi spes opinioq. removenda est. Satis enim nobis (si modò in Philosophia aliquid profecimus.) persuasum esse debet, si omnes DEOS hominesq. celare possimus, nihil tamen avarè, nihil injustè, nihil libidinosè, nihil incontinenter esse faciendum. Multa etiam apud alios Scriptores gentiles de tali peccandi proposito fugiendo inveniuntur. Ælianus ait: ἔ μόνον ὁ ἀδικήσας κακός, ἀλλὰ καὶ ὁ ἐνοήσας παρὰ τὰ ἐμοὶ κερτῆ, non solum malus est, qui injuriam fecit, sed & qui facere voluit, me quidem iudice. Ovidius:

*Quæ quia non licuit, non facit, illa facit.*

*Ut jam servaris bene corpus, adultera mens est.*

Seneca Pater: incesta est etiam sine stupro, quæ cupit stuprum. Filius: non immerito in numerum peccantium refertur, quæ pudicitiam timori præstitit non sibi. Idem alibi: Omnia scelera etiam ante effectum operis, quantum culpa satis est, perfecta sunt. Alibi: Fecit quisq. quantum voluit. Quod Aristophanes sic extulerat: δύναται γὰρ ἴσθαι τῶ δρῆν τὸ νοεῖν. Sic adulterum Tryphoninus Jurisconsultus ait dici ex animi propositione sola, etsi nunquam alienam matrem familias corruerit: & Dioni Prusæensi oratione 67. ἔ χ' ἤπρον ὀφίβω τῆ κλέπτειν ἀπέχεσθαι δικῶν, ἀλλὰ μὴ μισῶν τὸ παρὰ γμα καὶ κατὰ γνώσαν κλέπτεις τῶν ὑφαιρημένων ἐπὶ Etiam ille rerum fur est, qui non odso furit, sed metu aliquo a furto abstinet. Porphyrius libro de abstinentiâ primo: ἰσίδυ.

Σπουδῆς ἢ μὲν διὰ τῶν φανερῶν, ἢ δὲ διὰ τῶν ἀφανέστερων. τὸ μὲν γὰρ μὴ φαγεῖν φέρε, ἢ μὴ λαβεῖν διδόμενα χεῖματα, τῶν φανερῶν ἦν καὶ ἐκκεῖμενον. τὸ δὲ μὴδὲ ἐπιθυμεῖν, τῶν ἀφανέστερων. ὥστε μετὰ τῶν ἔργων ἀποστασίον καὶ τῆς πρὸς ἀντὶ ὁμοσεθείας καὶ τῆ πάθης. τί γὰρ καὶ ὄφελος τῶν ἔργων ἀφιστάμενον, ταῖς αἰτίαις, ἀφ' ὧν καὶ τὰ ἔργα ὁμοσελήθοι, *Exuimur malis aut conspicuis aut inconspicuis. Non edere, non accipere oblatas pecunias conspicuorum est, & omnibus patet. At nec concupiscere, inconspicuum est. Postquam autem factis abstinueris, abstinentium & motibus ac maxime ipsis animi morbis. Quid enim prodest factis abstinere, sic ausis unde ea procedunt adstrictus manus?* Non dubitamus itaq; affirmare hominem utut sibi relictum posse facere opera singula, quæ natura imperat, si sumantur distributivè, & vitare quoq; singula peccata saltim in aliquo temporis momento contra legem naturæ distributivè sumta, quam vis nec illa præstare, nec ista vitare possit, si sumantur collectivè & prout vel præstanda vel vitanda sunt diuturno tempore.

X V. Certè aliqua bona naturaliter fieri posse non solum experientia paullò ante allata sed etiam hæc, nisi fallor, ratio evidenter probat. Quodcunque bonum intellectus naturaliter cognoscere potest esse faciendum, id etiam naturaliter potest velle & eligere voluntas. Neque enim minus voluntatis sibi relictæ objectum est bonum naturaliter cognitum, quàm intellectus objectum est verum, lumini inæto pervium. Atqui aliqua vera bona secundum has illasve circumstantias in particulari esse facienda intellectus naturaliter cognoscere potest. Ergo. Probatur minor: utiq; enim naturaliter possunt cognosci principia practica, super quibus exstructæ sunt disciplina practica & Philosophia moralis. Et quum ex illis principijs quadam, imò multa in particulari facillimè deducantur,

cantur, & hæc cognosci queunt. Exempli gratiâ, debitum creditori esse reddendum in generali notum est ac proinde etiam nullo negotio hinc concluditur, hoc aut illud debitum huic aut illi creditori esse reddendum.

XVI. Neque adversatur hæc sententia sacris literis, sed utrumque potius, nempe & cognosci & fieri posse naturæ viribus opera quædam moraliter bona, expressè docet Apostolus Rom. 2. v. 14. *Cum gentes, inquit, quæ legem non habent, naturâ, quæ legis sunt, faciant, isti legem non habentes sibi ipsis sunt lex, ut qui ostendant opus legis scriptum in cordibus suis.* Hæc Apostoli verba considerans Augustinus inter cætera sic scribit lib. de spiritu & literâ cap. 27. *Etiam impiorum nec Deum verum veraciter justè, colentium quadam tamen facta vel legimus, vel novimus, vel audimus, quæ secundum justitiæ regulam non solum vituperare non possumus, verùm etiam meritò rectè, laudamus, quamquam si discutiatnr, quò sine fiant, vix inveniuntur, quæ justitiæ debitam laudem defensionem ve mereantur.*

Nimirum homines plerique ob pravitatem appetitus rectè facta ut plurimum referunt in proprium commodum, vel ut famam caprent, aut pœnas vitent: nonnulli tamen ut possunt, ita solent quoque virtuti interdum studere, solius virtutis amore. Quod ubi fit, ejus modi opus si non explicitè, saltem implicitè in DEUM ut autorem naturæ refertur. Non igitur ait Augustinus: Numquam inveniuntur, sed vix inveniuntur. Et addit sequenti cap. *ipsi* (puta Judæi) *homines erant, & vis illa natura inerat illis, quæ legitimum aliquid animæ rationalis & sentis & facit.* Idem paulò post: *Sicut non impediunt à vitâ aternâ justum quadam peccata venialia, sine quibus hæc vitâ non ducitur: sic ad salutem aternam nihil profant impiorum aliqua bona opera, sine quibus difficillimè vitâ cujuslibet pessimi hominis inveniuntur.*

Totam

Totam hanc doctrinam rectissimè expressit Augustana confessio artic. 18. de libero arbitrio: *Docent* (Ecclesiæ nostræ) *quod humana voluntas habeat aliquam libertatem ad efficiendam civilem justitiam & deligendas res rationi subiectas.* Idem uberius explicat Apologia ejusdem articuli in hunc modum: *Habet humana voluntas libertatem in operibus & rebus deligendis, quas ratio per se comprehendit. Potest aliquo modo efficere justitiam civilem seu justitiam operum, potest loqui de DEO, exhibere DEO certum cultum externo opere, obedire magistratibus, parentibus, in opere externo eligendo, potest continere manus à cade, ab adulterio, à furto. Cum reliqua sit in natura hominis ratio & judicium de rebus sensui subiectis, reliquus est etiam delectus earum rerum & libertas & facultas efficiendæ justitiæ civilis.* Hæc ibi.

XVII. Ut ergo tandem concludamus hoc caput, hæc nunc esto tertia assertio: *Potest homo renatus etiam per vires naturæ sibi relictas cum generali Dei auxilio facere & velle quadam opera moraliter bona & relata ad finem naturaliter cognitum, nempe summum bonum civile, & Deum ut primam causam & autorem naturæ.* Hanc assertionem, quæ modò allata sunt, satis superque confirmant, nisi fallor. Scilicet, ut diximus, quædam opera moraliter bona esse moraliter bona ac proinde faciendæ etiam naturaliter est notum. Naturalis itaque sunt ordinis, & propterea naturales facultates non excedunt.

## CAPUT IV.

*Hominem fidelem & renatum non posse vitam æternam bonis suis operibus verè & propriè mereri.*

## I.

**Q**UAMVIS homo fidelis & renatus, ut supra probavimus, vitam suam piè & sanctè juxta legem divinam instituere tenea-

teneatur, non potest tamen ille, contra quam Pontificij volunt, operibus suis vitam æternam verè ac propriè seu de condigno, ut loqui amant, mereri. Probatur id tum ex scripturâ tum ex usu ac praxi V. Ecclesiæ. Ex scripturâ hæc potissimum depromi possunt argumenta. Primò. *Vita æterna est donum. E. non possumus eam propriè operibus nostris mereri.* Antecedens patet ex Rom. 6. v. ult. Ubi Paulus eam disertè  $\chi\acute{\alpha}\epsilon\rho\mu\alpha$ , donum vocat. *Stipendium*, ait, *peccati mors est*;  $\tau\acute{o}\ \delta\epsilon\ \chi\acute{\alpha}\epsilon\rho\mu\alpha\ \tau\acute{\omega}\ \Theta\epsilon\acute{\omega}$ , donum autem illud Dei est *vita æterna*. Hinc S. Augustinus epist. 105, ad Sixtum: *Vide, obsecro te, in quanta breuitate quàm vigilanter verba posuerit: cum enim dixisset: Stipendium peccati mors: quis non congruentissimè & consequenter addere iudicaret, Stipendium autem iustitiæ vita æterna? Et verum est, sicut merito peccati tanquam stipendium redditur mors, ità merito iustitiæ tanquam stipendium vita æterna. Aut si nollet dicere iustitiæ, diceret fidei, quoniam iustus ex fide vivit. Vnde etiam & merces appellatur plurimus sanctorum scripturarum locis. Nusquam porò dicta est merces iustitiæ vel fides, quia iustitiæ vel fidei redditur merces. Quod est autem merces operanti, hoc militanti stipendium. Sed B. Apostolus adversus elationem, qua magis adeo magnis tentat irrepere, ut & sibi propter ipsam dicat datum angelum Sathana. Adversus hanc ergo elationis pestem vigilantissimè militans, stipendium, inquit, peccati mors. Rectè stipendium, quia debetur, quia dignè retribuitur, quia merito redditur. Deinde ne iustitiæ de humano se extolleret bono merito, sicut humanum meritum malum non dubitatur esse peccatum, non à contrario retulit, dicens, stipendium iustitiæ vita æterna, sed gratia, inquit, Dei vita æterna. Hæc S. Augustinus. Et S. Fulgentius lib. i. de prædestinatione ad Monimum cap. X. *Ex gratiâ datur non solum iustificatis vita bona, sed etiam glorificatis vita æterna. Quod Pauli tenemus prædicatione compertum, dicentis: Stipendium enim peccati mors: gratia autem Dei, vita æterna in Christo Iesu**

R

Domis

Domino nostro. Cur autem mors stipendium, vita verò aeterna gratia dicitur? nisi quia illa redditur, hac donatur. Sed ubi illam Deus reddit, opus malum peccatoris hominis punit, quod nullatenus fecisset homo, nisi discisset à Deo. Cum verò Deus vitam aeternam donat, opus suum quod inchoavit, justificans impium perficit, glorificans justum. Haec autem utraq; gratia, id est, & vita bona, & vita aeterna in Christo Iesu Domino nostro est. De plenitudine quippe ejus nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia, sc. gratiam glorificationis aeterna pro gratia justificationis indebita, ut gratia justificationis omne meritum malum deleat indebito beneficio: & meritum bonum jugi confirmet auxilio, cui gratia glorificationis juste reddatur in premio. Gratia autem etiam ipsa ideo non injuste dicitur, quia non solum donis suis Deus dona sua reddit: sed quia tantum etiam ibi gratia divina retributionis exuberat, ut incomparabiliter atq; ineffabiliter omne meritum, quamvis bonum & ex Deo data humana voluntatis atq; operationis, excedat. Et cap. XV. Donum itaq; perfectum tunc omnibus dabitur, quando sanctis aeterna glorificatio tribuetur. Tunc, sicut Veritas dicit, Justi fulgebunt sicut sol in regno Patris sui. Illius est igitur etiam hoc donum perfectum, à quo est doni totius initium: quod utiq; donum non diceretur, si non etiam hoc ex gratia donaretur. Unus autem Deus est, qui gratis & vocat praedestinos, & justificat vocatos, & glorificat justificados. Sicut autem non est aliud justificare, nisi justos facere, sic non est aliud glorificare, nisi gloriosos facere. Proinde quia Deus suos & justificat & glorificat, sicut gratia ipsius opus est cum facit justos, sic gratia ipsius opus erit, cum faciet gloriosos. Haec B. Fulgentius.

II. Deinde & secundo opera nostra Deo sunt inutilia & jam ante debita. E. non sunt verè ac propriè meritoria. Antecedens ostenditur ex Luc. 17, 10. Cum feceritis omnia, quae praecepta sunt vobis, ducite, servi inutiles sumus: nam quod debemus facere fecimus. Dicit haec Christus discipulis suis, qui homines erant renati & in statu gratiae constituti. Unde patet, quicquid, tandem



dem agant fideles ac renati, nihilominus eos esse ac manere fervos inutiles, qui temerè persuasum habeant, se quicquam fecisse, nisi quod debuerint facere.

III. Et sanè quàm nos nostris viribus nullum opus verè bonum facere valeamus, sed ut suprâ prolixè ostensum, ad id semper divinâ indigeamus auxilio, omni profectò jure DEO debeamus, quicquid boni præstare possum⁹, Dei, inquam, Spiritus nos excitat, ut bene agere velimus, idem benè agentes adjuvat. Huc illud pertinet Cypriani toties ab Augustino repetitum, & supra quoq; nobis citatum. *In nullo gloriantur, quando nostrum nihil est.* Et illud ad fine: *Dei est; Dei omne, quod possumus.* Item Salvianus: *Totum ergo, inquit, quamvis peccator aliquis oblaturus est? imò nihil, si non cum fide: imò nihil, si non cum ambitu (id est simplici devotione) imò nihil, si non cum prece: imò nihil, si non hoc animo, ut hoc ipsum inter præcipua DEI beneficia reputet, quòd animum offerendi dedit.* Et hinc etiam Augustinus epistolâ citatâ: *Cum Deus coronat, merita nostra, nihil aliud coronat, quam munera sua.* Rectè quoq; S. Chrysostomus homil. VII. in ep. ad Rom. *Quæcumq; facimus, ea debitum implentes facimus. Charitatem igitur quum exhibuerimus, indigentibus pecunias quum largiti fuerimus, debitum implemus: non solum quod ille prior beneficium in nos fuerit, sed quòd que illius sunt, distribuimus, si quando damus.*

IV. Quicquid etiam tandem agamus, semper sumus & manemus servi inutiles. Nemo enim, ut pridem diximus, tam sanctè vivit, quin identidem impingat ac proinde quotidie opus habeat divinâ miseratione, adeoq; nemo tantum præstare potest, quin plus pro indulgentiæ beneficio semper debeat. Tum verò Deus & v. r. p. n. s. non potest operâ nostrâ fieri beator, neq; ad eum fructus nostrorum operum redundat, ut dici eo nomine ipsi utiles possimus. Huc illud Jobi pertinet. c. 35, v. 7. Si justè egeris, quid illi donabis, aut quid inde è manu tuâ accipiet?

R 2

V. Ter.

V. Tertiò opera nostra non sunt digna vitâ aternâ. E nec per illa verè ac propriè eam mereri possumus. Antecedens rur-  
 sus discretè scriptum est. Rom. 8, 18. *Reor enim non esse condignas  
 passiones hujus temporis futurâ gloriâ, qua revelabitur in nobis.* To-  
 lerantia perpeffionum, quas Christiani pro fide & amore Dei  
 sustinent, opus omnium præclarissimum est, & tamen eam A-  
 postolus gloriâ aternâ minimè dignam esse affirmat. Neq; id  
 mirum. Quæ enim potest esse æqualitas inter momentaneum  
 & aeternum, ut jam de illis infirmitatibus taceam; quæ huma-  
 nis actionibus subinde intercurrunt? Rectè igitur ad illud A-  
 postoli respiciens majora laboribus præmia dixit Chrysofom?  
 VIII. Rom. & alibi: *majora quidem, quàm quanti sit meruum nostrû,  
 sed cõdigna suâ in homines bonitate.* Et B. Theodoretus Rom. 6. ult.  
*Etsi, inquit, quis summam & absolutam justitiam præstiterit, tem-  
 poralibus laboribus aeterna in æquilibrio non respondent.* Quin S. Cy-  
 prianus exhortatione ad martyrium cap. XII. discretè ait: *Plus  
 accipimus in passionis mercede, quàm sustinemus in ipsâ passione.* Sal-  
 vianus etiam lib. IV. contra avaritiam adducta Apostoli verba  
 explicans indignum esse ad futura gloriâ comparationem omne opus  
 dicit humanum. Rectè deniq; adhuc XII. seculo S. Bernhardus  
 ferm. I. de annunciatione dicit: *Iam verò de aternâ vitâ scimus,  
 quia non sunt condigna passiones hujus temporis ad futuram gloriâ,  
 nec si unus omnes sustineat. Neq; enim talia sunt hominum merita, ut  
 propter ea vitâ aeterna debeatur ex jure, aut Deus injuriam aliquâ fa-  
 ceret, nisi eam donaret: nam ut taceam quod merita omnia dona Dei  
 sunt, & ita homo magis propter ipsâ Deo debitor est, quàm Deus ho-  
 mini: quid sunt merita omnia ad tantam gloriâ? Et iterum: ipse  
 peccata condonat, ipse donat merita, & præmia nihilominus ipse redon-  
 nat.* Hæc S. Bernhardus.

V. I. Quartò deniq; sic argumentamur: *Quicquid nobis  
 redditur, ut hereditas filius, illud operibus nostris verè ac propriè mere-*

*ri nequimus, seu illud nõ redditur nobis ut merces proprie dicta. Nam quod ex hereditate paternã cuiquam obvenit, id non propter labores & merita datur, sed ideo, quia filius est, sive filius per naturam sit, sive per adoptionem: Atqui aterna beatitudo nobis ut hereditas redditur. E. minor nota est, Rom. 8, v. 17. Quod si filij, etiam hæredes: hæredes quidem Dei, coheredes autem Christi. Tit. 3. 7. Vt iustificati ipsius gratiã hæredes efficeremur secundum spem vita aterna. Heb. 6, 12. Ne sitis segnes sed imitatores eorum, qui per fidem & patientem animum hereditario jure obtinent promissionem. 1. Pet. 1, 3. & 4. Regenuit nos in spem vivam per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis ad hereditatem, quæ nec corrumpi potest, nec contaminari, nec marcescere, vobis in cælis servatam. Sicigitur ex Scripturis id probatur.*

VII. Idem ex usu & praxi V. Ecclesiæ faciliè ostendi potest. Ut autem res eò reddatur manifestior, argumentamur ita: *Si ne sanctissimi quidem Ecclesiæ Doctores morti jam vicini salutem sibi ex meritis suis promittere sunt ausi, utiq; nec nos illam nobis ex nostris meritis polliceri debemus. Verum autem est prius: Ergo & posterius. Antecedens uno atq; altero exemplo sic demonstratur. Sanctissimè profecto vixerat B. Ambrosius, maximus ille occidentis Doctor, & semper operam dederat, ut conscientiam sine offensã apud DEUM & homines haberet Nullatenus tamẽ hictantus vir in beato excessu suo cœlestem beatitudinem sibi ex meritis suis promittebat, sed unicè ex Dei bonitate ac benignitate eam expectabat. Egregiè hanc historiam describit Possidius in vita Augustini cap. 27. cuius hæc sunt verba: Indicaverat quoq; nobis (S. Augustinus) se prædicti & beata memoria viri (Ambrosij) in ultimo vita constituuti, audisse sapientissimum & piissimum responsum, & multum laudabat ac predicabat. Nam cum ille, inquit, venerabilis ultimã jaceret ægritudine, & à fidelibus honoratis lecto ejus asstantibus, & videntibus cum de seculo migraturum*

ad Deum, & ob hoc merentibus, tanti ac talis anxitus (morte scilicet) ecclesiam posse privari, verbi & sacramenti Dei dispositione: cum lacrymis rogaretur, ut sibi à Domino vita posceret commeatum, eum illis dixisse; Non sic vixi, ut me pudeat inter vos vivere: sed nec mori timeo, quia bonum Dominum habemus. Et hac noster Augustinus senex elimata ac librata admirabatur & laudabat verba. Idem enim eum dixisse intelligendum est, nec mori timeo, quia bonum Dominum habemus, ne crederetur praesidens de suis purgatissimis moribus praesumpsisse, Non sic vixi, ut me pudeat inter vos vivere: hoc enim dixerat ad illud, quod homines de homine nosse poterant. Nam sciens examen aequitatis divina, de bono Domino se dicit magis, quam de meritis suis considerare; Cui etiam in oratione quotidianâ Dominica dicebat: *Dimitte nobis debita nostra.*

**IIX.** Non solum autem laudabat & admirabatur tam piû D. Ambrosij responsum S. Augustinus, sed exemplum quoque ejus ita imitatus est ipse, ut nec excedendum sibi ex hoc corporis ergastulo, nisi feriâ prius penitentiâ actâ, & per multos dies continuatâ, putârit. Qua de re rursus idem Possidonius cap. ult. scribit: *Dicere nobis inter familiaria colloquia consueverat, post perceptum baptismum etiam laudatos Christianos & sacerdotes absq. digna & cõpetenti penitentiâ exire de corpore non debere. Quod etiam ipse fecit ultimâ, qua defunctus est, agritudine: nam sibi iusserat psalmos Davidicos, qui sunt paucissimi de penitentiâ, scribi, ipsosq. quaterniones jacens in lecto contra parietem postos diebus sua infirmitatis intuebatur, & legebat, & jugiter ac uberrimè flebat: Et ne intentio ejus à quoquam impediretur, ante dies ferme decem, quam exire de corpore, à nobis postulavit presentibus, ne quis ad eum ingrederetur, nisi ijs tantum horis, quibus medici ad inspiciendum intrarent, vel cû ei inferretur refectio. Et ita observatum & factum est, qui omni illo tempore orationi vacabat. Huc etiam pertinet, quod de S. Bernhardo in vitâ ejus lib. 1. c. 13. narratur: Cum enim gravissimè agrares*

taret, jamq̄ extremum trahere spiritum videretur, in excessu mentis sua ante tribunal Domini, sibi visus est presentari. Affuit autem & Satan ex aduerso, improbis cum accusationibus pulsans. Vbi verò ille omnia fuerat persecutus, & viro Dei pro sua fuit parte dicendum, nihil, (itã enim cum Chemnitio lego) terrius aut turbatus, ait: Fateor, non sum dignus ego, nec proprijs possum meritis regnum obtinere caelorum. Caterum duplici jure illud obtinens Dominus meus, hereditate scilicet Patris & merito passionis: altero ipse contentus, alterum mihi donat, ex cujus dono jure illud mihi vendicans non confundor. Hac Gvillhelmus abbas in vita Bernardi.

IX. Quod autem illi fecerunt, idem sequendum omnibus pie morituris jam ante S. Bernardum B. Anselmus Cantuariensis docuerat, ut ex exhortatione ejus ad fratrem moriturum, quam etiam Chemnitius p. 1. exam. cap. 11. & seqq. vi. sess. Concil. Trid. habet. Cum frater aliquis, inquit, laborare videtur in extremis, pium est & consultum eum per pralatum sive alium sacerdotem subscriptis interrogationibus, & exhortationibus exerceri. Et interrogetur primo, frater, scis, quod in fide Christi morieris? Et respondeat, Etiam. Item fateris te non tam bene vixisse sicut debuisses? Respondeat, Fateor. Pœnitet te? Etiam. Habes voluntatem emendandi te? Etiam. Credis quod propter te mortuus est Dominus Iesus Christus filius Dei? Etiam. Credis te non posse saluari, nisi per mortem ejus? Etiam. Agis ei de hoc ex toto corde gratias? Etiam. Age ergo, dum in te est anima tua, ei semper gratias: & in hac solã morte totam fiduciam tuam constitue, huic morti te totum comitte, hac morte te totum cõtege, eiq̄, te totum involue. Et si Dominus te voluerit judicare, dic, Domine mortem Domini nostri I. C. objicio inter me & te & judicium tuum: aliter tecum non contendo. Si dixerit, quod merueris damnationem, dic, mortem Domini nostri I. C. objicio inter me & mala merita mea, ipsiusq̄, dignissima passionis meritum offero pro merito, quod ego habere debuissem, & heu! non habeo. Dicit iterum. Mor-

tem D. N. I. C. pono inter me & irā tuam. Deinde dicat: In manus tuas Domine commendo Spiritum meum. Et conventus si ve adstantes respondeant. In manus tuas Domine commendamus spiritum ejus. Et securus morietur nec videbit mortem in aeternum. Hactenus S. Anselmus. Nec hæ tantum quæstiones, in usum morientium ab eo ante annos 100. conscriptæ, postea retentæ & ab alijs repetitæ sunt, sed istæ etiam illis similes multis libellis inculcatæ; *Credis omnia quæ sunt fidei Christiana?* R. Credo. *Gaudes te mori in fide Christiana?* R. Gaudeo. *Recognoscis te Deum multum offendisse?* R. Recognosco. *Doles de omni offensa?* R. Doleo. *Proponis de cætero ab omni offensa peccati mortalis abstinere?* R. Divino auxilio mediante propono. *Credis te meritis passionis redemptoris nostri & non proprijs ad gloriam pervenire?* R. Credo.

Quin nec privatim tantum præscriptæ, sed etiam publica auctoritate libris Ecclesiæ ritualibus & ipsi sacerdotali Romano insertæ sunt, & usq; ad hoc Ecclesiæ Schisma in eo manserunt, donec à mala manu tollerentur. *Vidimus*, inquit Card. Stanislaus Hosius Confess. fidei Petric. cap. 73. & sacerdotale Romanū, in quo & ipso habetur hac interrogatio: *Credis, non proprijs meritis, sed passionis D. N. I. C. virtute & merito ad gloriam pervenire?* *Respondet infirmus*: Credo. *Iterum sacerdos*: *Credis, quod D. N. I. C. pro nostra salute mortuus sit: & quod ex proprijs meritis vel alio modo nullus possit salvari, nisi in merito passionis ejus?* *Respondet infirmus*: Credo. Sed hæc & plura in eam sententiam lectu digna ex digressionem de arte novâ Excellentiss. Dn. D. Georgi Calixti præceptoris nostri æternum venerandi, petere poterit, qui volet.

X. Quamvis autem Tridentini Concilij superiori seculo habiti patres anathema eum esse jubeant, qui dixerit, justificatum bonis suis operibus non verè mereri vitam æternam & ipsius vitæ æternæ consequutionem, ne quidem tamen ipsi illi, qui decreto isti condendo interfuerant, ubi ad rem gerendam magnum =

magnumq; illud & ultimū certamen certandū ventum erat, suis meritis multum tribuere sunt ausi. Commemorabimus nos nunc unum duntaxat exemplum, quod itidem laudata digressione Calixtus adduxit. Dici non potest, quanto odio Protestātes infestatus fuerit Cardinalis Hosius, qui dicta synodo non solū interfuerat, sed etiam praefuerat. Is verō jam fermè moriens non in operibus suis, sed *solo Christi merito* omnem spem atque fiduciam collocavit. Ita enim orat, ut videre est in Testamento operibus ipsius subjuncto: *Accedo, inquit, ad gratia tuae thronum qui Pater es misericordiarum, & Deus totius consolationis, ut misericordiam consequar, & gratiam in tuis oculis inveniam. Quocunq; tempore depositum tuum repetere à me tibi visum fuerit, in manus tuas commendo spiritum meum, quem si tu contempleris qualis ipse est ex se, fateor quod non est dignus, qui sub oculis tuae majestatis veniat, quum sit omni sorde plenus. Caterum si filij tui sanguinem, quo lotus & emundatus est, si cruciatus inspexeris, quos longè tulit acerbissimos pro peccatis nostris, ut nos tibi redderet acceptabiles digni certè sunt illi, propter quos tanto pretio redemptum facias eum participem gloriae tuae sempiternae. Noli pater clementissime, noli respicere in faciem meam, quin averte potius à peccatis meis faciem tuam: & ò protector noster aspice Deus, respice Deus in faciem Christi tui: respice in faciem dilecti Filij tui, pro peccatis meis in cruce pendentis & morientis: & in eorum remissionem de saucio latere copiosum sanguinem profundentis. Confiteor tibi pater, quod gravia sunt peccata mea, quibus iram tuam promerui. Sed ultimam appendas ea Domine in statera, & quam pro me calamitatem pertulit innocens Filius tuus: certè multò gravior apparebit hac & magis digna, propter quam effundas in me misericordiam tuam, quam illa sine, ut propter ea contineas in ira tuà miserationes tuas. Indignus ego sum, quem oculis majestatis tuae aspicias, verum intere à dignissimus est ille, propter cujus passionis & mortis meritū non modò respicias*

S me,

me, verum & coronas. *Quamobrem venio ad te Pater clementissime, venio ad te nullis meis, sed multis filij tui Domini & redemptoris mei Iesu Christi meritis onustus: qui quum pretiosâ morte suâ non modo pro meis, verum etiam pro totius mundi peccatis abunde tibi satisfecerit, huius mortis meritum, in quo solo meam spem & fiduciam omnem habeo defixam, adfero ad te: hæc est iustitia mea: satisfactio mea, redemptio & propitiatio mea. Meritum meum est mors Domini mei. Non sum inops meriti, (hæc à Bernhardo mutuatus est) quam diu miseracionum Dominus non defuerit. Et si multa sunt misericordia Domini mei, multus & ego sum in meritis meis. Quanto potentior ille ad salvandum, tantum sum ego securior. Vides igitur clementissime pater, quibus meritis onustus ad te veniam, ijs nimirum quibus negare nihil potes. Quamobrem quocumq; tempore repetere tibi visum fuerit, accipe Pater celestia, accipe spiritum meum, non corruptibilibus auro & argento, sed pretioso filij tui sanguine redemptum. In hoc pretium respice, propter hoc pretium esse me dignum pronuncia, quem inter oves tuas à dextris colloces, & unâ cum alijs electis tuis exoptatam illam vocem exaudire facias: Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Hæc Hosius profus piè & Christianè. Utinam igitur desinant tandem Pontificij talia proferre, quæ ad praxin, nec à semetipsis, nec ab alijs transferri posse vident, atq; adeo luum illud de condigno meritum planè missum faciant.*

XI. Nos sanè non desinemus urgere & auditoribus nostris ferriò inculcare studium pietatis & sanctimonix, nunquam tamè facta nostra tanti æstimabimus, ut Deum eo nomine obligatū nobis habere cupiamus. Facilius enim, ut Chrysofomus benè monet, sine operibus humilis animus hominem ad salutem perducit, quam cum cum operibus conjuncta superbia. Notum est illud S. Augustini

Serm. 61.  
in Cant.

rationum Dominus non defuerit. Et si multa sunt misericordia Domini mei, multus & ego sum in meritis meis. Quanto potentior ille ad salvandum, tantum sum ego securior. Vides igitur clementissime pater, quibus meritis onustus ad te veniam, ijs nimirum quibus negare nihil potes. Quamobrem quocumq; tempore repetere tibi visum fuerit, accipe Pater celestia, accipe spiritum meum, non corruptibilibus auro & argento, sed pretioso filij tui sanguine redemptum. In hoc pretium respice, propter hoc pretium esse me dignum pronuncia, quem inter oves tuas à dextris colloces, & unâ cum alijs electis tuis exoptatam illam vocem exaudire facias: Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Hæc Hosius profus piè & Christianè. Utinam igitur desinant tandem Pontificij talia proferre, quæ ad praxin, nec à semetipsis, nec ab alijs transferri posse vident, atq; adeo luum illud de condigno meritum planè missum faciant.

XI. Nos sanè non desinemus urgere & auditoribus nostris ferriò inculcare studium pietatis & sanctimonix, nunquam tamè facta nostra tanti æstimabimus, ut Deum eo nomine obligatū nobis habere cupiamus. Facilius enim, ut Chrysofomus benè monet, sine operibus humilis animus hominem ad salutem perducit, quam cum cum operibus conjuncta superbia. Notum est illud S. Augustini



gustini lib. 9. confess. c. 13. *Va etiam laudabili vita hominum si remota misericordia discutias eam*, Et S. Ambr. l. i. de Jacob & vitâ beatâ c. 6. *Non gloriabor, inquit, quia justus sum, sed quia redemptus; gloriabor, nō quia vacuus sum peccatis, sed quia mihi remissa sunt peccata: non gloriabor quia profui, neq; quia profuit mihi quisquam, sed quia pro me advocatus apud Patrem Christus est.* Idem in Psal. 118. explicans verba: *vide humilitatem meam* & c. ait: *Nemo sibi arroget, nemo de meritis gloriatur, sed omnes speremus per Dominum lesum misericordiam invenire, quoniam omnes ante tribunal ejus stabimus. De illo veniam, de illo indulgentiam postulabo. Quae enim spes alia peccatoribus? Et iterum S. Augustinus ep. xxix. ad Hieronymum: Charitas in alijs major, in alijs minor, in alijs nulla est: plenissima verò quae jam non potest augeri, quādiu hic homo vivit, est in nemine. Quamdiu autem augeri potest, profecto illud quod minus est, quam debet, ex vitio est, ex quo vitio non est justus in terrâ, qui faciat bonum, & non peccet, ex quo vitio non justificabitur in conspectu Dei omnis vivens, propter quod vitium si dixerimus, quia peccatum non habemus, veritas in nobis non est, propter quod etiam quantumlibet profecerimus, necessarium est nobis dicere: Dimitte nobis debita nostra. Fit inde Syllogismus. Quicumq; vitam aeternam operibus suis de condigno potest mereri, is etiam gloriari potest de suâ justitiâ & propter eam in conspectu DEI justificari seu justus haberi. Atqui juxta S. Ambrosium & S. Augustinum nemo potest gloriari de suâ justitiâ & propter eam in conspectu Dei justificari seu justus haberi. E.*

XII. Quemadmodum igitur diximus, non cessabimus quidem nos operam dare pietati & justitiâ, non cessabimus etiam alios ad ejus studium omnibus modis cohortari & invitare, sed nunquam nos adduci patiemur, ut cum Bellarmino adferamus, *in praemio caelesti conferendo non haberi rationem solius promissionis, vel uberalitatis, vel indulgentiae DEI, sed etiam digni-*

*ratio & efficacia ipsorū operum, aut cum Greg: de Valentia tom. 2. disput. 8. quast. 6. pun. 1. §. 1. In istos verè & propriè mereri vitam æternā ex condigno, sic, ut sine iniustitiā Deus nequeat ipsis eam negare.*

XIII. Longè enim aliter hâc de re docet S. Scriptura ; longè aliter de eadem statuunt veteris Ecclesiæ Doctores , ut satis superq; hætenus ostendimus. Et quamvis Patres Latinae præsertim Ecclesiæ voce meriti passim hic sæpè utantur, non tamen meritum propriè sed impropriè dūtaxat dictum intelligunt, hoc est, quodvis medium cujus interventu aliquid cōsequimur, etiamsi id non consequamur tanquam debitum ex iustitiā. Unde etiam *τὸ mereri*, quod ipsis tam familiare, pro *consequi vel adipisci aut impetrare* usurpare amant. Ex plurimis exemplis, quibus hoc liquidò ostendi potest, hæc pauca accipe. Secundum ipsos Pontificios remissio peccatorum gratis datur & nullatenus ex merito aliquo, saltim de condigno. Notentur nunc tantum verba Becani, qui opusculo de justificatione Catholicorum cap. 4. num. 2. ità hâc de re scribit : *Adserunt* (adversarij) *inquit, nos docere, nostris nos operibus justificari, id est, justificationem mereri. Non id docemus. Fatemur quidem cum Apostolo secundam justificationem, id est, augmentum iustitiæ, conferri nobis à Deo propter bona opera, quibus id meremur, sed negamus primam justificationem esse ex nostris meritis. Imò constanter tenemus, dispositiones illas, quæ præcedunt justificationem tamen si bona opera sine, partim à Spiritus S. gratiā, partim à libero arbitrio, tanquam à duabus causis producta, non tamen mereri primam gratiā justificantem & peccatorum remissionem, eò quod sunt ab homine nondum justificato, sed in statu peccati ad huc existente. Et consequenter asserimus primam justificationem esse merè gratuitam, nec ullo modo deberi nobis ex iustitiā.* Hæc Becanus. Et nihilominus diserte Patres fidem & pœnitentiam, remissionem peccatorum & justificationem mereri dicunt. Et de fide quidem Tertul. lib. 4. adver-

adversus Marcionem c. 20. *Fidem, inquit, mulieris ita invenimus meruisse, cum dicit Christus: Fides tua Te salvam fecit. Quò etiam pertinet illud ejusdem de Oratione: Incipit à Testimonio Dei & merito fidei, quum dicimus, Pater qui in coelis es. Nam & Deum oramus, & fidem commendamus, cujus meritum est hæc appellatio. Scriptum esto, Qui in eum crediderint, dedit eis potestatem, ut filij Dei vocentur. Juxta Tertullianum igitur perfidem meremur jus filiationis, atq; adeo potestatem appellandi Deum Patrem nostrum. Non dicent autem Pontificij id nos per fidem mereri de condigno. Ita etiam S. Augustinus de fide loquitur ep. 106. ad Paulinum: Si quis dixerit, quòd gratiam bene operandi fides mereatur, negare non possumus, imò gratissimè confitemur. De poenitentia autem & deprecatione ita rursus Tertull. lib. 4. adversus Marcionem cap. X. *Lego, inquit, & Achab Regem, maritum Iezabel, reum idololatriæ & sanguinis Nabuthæ, veniam meruisse poenitentia nomine S. Cyprianus sermone de lapsis: Qui sic DEO satisfecerit, qui poenitentia facti sui, qui pudore delicti plus & virtutis & fidei de ipso lapsus sui dolore conceperit, exauditus & adjutus à Domino, quam contristatus nuper, lætam faciet Ecclesiam, nec jam solam Dei veniam merebitur, sed coronam. Autor vetustus sermonum de cardinalibus Christi operibus, Cypriano aliquando tributorum, sermone de passione Christi: sic in cruce latro confitens non tantum indulgentiam meruit, sed Christi familiaris effectus, præmissus est in Paradisum & factus est particeps regni, per confessionem factus collega martyri. S. Ambrosius lib. 2. de poenitentia cap. 3. Tam cito veniam meretur (filius prodigus) ut venienti & adhuc longe posito, occurrat pater & osculum tribuat. Et lib. x. in Lucam c. 22. Lacryma (Petri) veniam non postulans, sed merentur. Et paulò post: Et Tu si veniam vis mereri, dilue culpam lacrymis tuam. S. Hieronymus lib. 2. adversus Pelagianos c. 4. Qui peccata simpliciter confitentur, inquit, merentur humilitate clementiam Salvatoris. Augustinus in Psalm. L. Nini vitæ de incerto poenitentiam egerunt, certam misericordiam meruerunt. Et Gregorius M. lib. 3. cap. 4. in 1. lib. Regum: Nini vitæ, dum veluti pro difficili reconciliatione gravi se poenitentia deycunt, omnipotentis Dei misericordiam facile meruerunt.**

XIV. w. Frequentissimè ergo Patres Latini ea etiam, quæ ex solâ gratiâ dantur, mereri nos dicunt, & meritum vocant, quicquid aliquid impetrat, quantumvis ex liberalitate tantum aut misericordiâ obringat. Idem passim hoc sensu voces istas accipiunt. Quod etiam faciunt Scriptores ejus ætatis profani, ut Ælius Spartianus, Amianus Marcellinus & alij. Hinc itaq; sic argumentor: *Qua vox communiter tum apud Ecclesiasticos tum apud profanos Scriptores, qui seculo tertio & sequenti vixerunt, usurpatur pro consequi, impetrare vel adipisci, ex illâ voce non potest firmiter colligi, quod illorum temporum Scriptores Ecclesiastici adsueverint meritum aliquod de condigno. Ita autem res se habet de voce merendi. E. Prætereà etiam tale argumentum formare lubet. Quicunq; unanimiter docent vitam æternam dono dari & ex merâ misericordiâ concedi, illi, quando nihilominus justificatorum opera vitam æternam mereri dicunt, vocem merendi laxius accipiunt. Atqui S. Patres unanimiter docent vitam æternam dono dari & ex merâ misericordiâ concedi, non autem propter justitiam & perfectionem operum, ut ex ijs, quæ supra adduximus, abunde constat. E.*

XV. Cæterum multa hic à Pontificijs objici solent. Quum autè ad omnes & singulas eorum objectiones jamdudum Theologi nostri prolixè & accuratè responderint, nos utpote ad finem properantes & non lubenter actum agentes, unam duntaxat, quæ inter cæteras familiam ducere videtur, nunc breviter examinabimus. Ea verò ita habet: *Quicquid fidelibus datur ut corona justitiæ, illud datur ex merito. Atqui vita æterna datur ut corona justitiæ. E. Minorem probat Bezan<sup>9</sup> ex 2. Tim. 4. v. 8. Bonum certamen certavi: cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita mihi est corona justitiæ. Et statim subjicit: Corona justitiæ non datur ex merâ liberalitate vel indulgentiâ, alioqui non justitiæ, sed liberalitatis corona esset. Respondeo limitando majorem hoc pacto: Quicquid fidelibus datur ut corona justitiæ propria, proportionata & indebita, id datur fidelibus ex merito. Factâ hæc limitatione negamus minorem. Ut enim abunde hæc ten<sup>9</sup> à nobis demonstratū est, non habent fideles propriam aliquam ejusmodi justitiam, quæ sit digna vitâ æternâ & indebitâ. Loquitur itaq; aliter illud Apostoli, reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi*

mibi Dominus in illâ die iustus iudex, olim explicavit S. Bernhardus de gr. & lib. arb. in fine: *Quò pacto, inquit, eam, quam sibi Paulus repositam præsumit, coronam vocat iustitiâ? An quoniam iustò jam & ex debito requiritur, quodcumq; vel gratis promittitur?* Deniq; ait: *Scio cui credidi, & certus sum, quia potens est depositum meum servare. Dei promissum suū appellat depositum: & quia credidit promittenti, fideliter promissum repetit. Promissum quidè ex misericordiâ, sed jam ex iustitiâ persolvendum. Est ergo, quam Paulus expectat, corona iustitiâ, sed iustitiâ Dei, non sua. Iustum quippe est, ut reddat, quod debet. Debet autem quod pollicitus est. Et hæc est iustitiâ, de qua præsumit Apostolus, promissio DEI.* Hæc Bernhardi verba digna videbantur hic legi.

XVI. Quamvis enim Deus opt. maximus, postquam nobis promisit vitam æternam sub eâ conditione, si hoc aut illud agamus, putâ si cum Paulo bonū certamen certemus, cursum consumemus, fidem servemus, vi veracitatis suæ (revera enim iustitiâ hoc loco pro fidelitate ac veracitate sumitur) omninò conferre teneatur tantum præmium omnibus, quotquot conditionem istam implent, nullatenus tamen vita æterna propterea definit esse liberale ac merè gratuitum donum. Quemadmodum enim necessitas ex hypothesi non tollit contingentia: itâ etiam hypothesi promissionis non imminuit veram liberalitatis rationem. Declarabimus rem exemplo. Est vir opulentus, bonus, pius & munificus; dicit puero ingenuo, sed egeno: *Confice & exhibe mihi quotannis decem disticha: Si id feceris, habebis à me donum mille aureorum.* Obsequitur puer & quotannis tot disticha exhibet. Tenetur sanè tunc vir ille vi veracitatis suæ stare promissis & tot aureos puero nostro quotannis conferre. Improbis tamen vel extremè impudens is fuerit, si acceptam pecuniam promissam suo isti carmini tanquam causæ promerenti, & non benignitati viri munifici totam impudet. Multò min⁹ opera nostra vitam æternam de condigno merentur, ut ut promissionè habeant non solùm huius sed etiam futuræ vitæ. Et sanè notabiles hic sunt differentie. Primò enim puer iste proprijs viribus, non autem viri illius opulenti auxilio carmen suum conficit. Nos autem quicquid possumus, quicquid præstamus, id omne, ut pridem dictum, divinis auxilijs debemus. Deinde puer non debet suum carmen Viro huic: nostra autem opera jam ante Deo sunt debita.

XVII. Ex dictis patet errare Franciscum Suarezium, qui non dubitat adferere etiam debitum iustitiæ in Deum cadere, adeoq; eum fidelibus vitam æternam ex iustitiâ debere. Duplex enim disput. 2. Relectionis delibertate divinâ sect. 2. Deo tribuit debitū 1. debitum *fidelitatis*, quod oritur ex promissione simplici, vel ex promissione factâ sub conditione operis non meritorij, qualis est promissio

remillio-

remissionis peccatorum, & primæ gratiæ facta peccatoribus sub eâ conditione, si veram agant pœnitentiam. 2. Debitum *justitiæ*, quod dicit nasci ex promissione factâ sub conditione operis proportionati. Vocat autem opus proportionatum, quod est meritorium de condigno. *Per ipsum opus*, inquit, *habens condignitatem & valorem acquirit homo jus ad rem promissam, quod est illius ita proprium & intrinsecum, ut verum sit dicere, ratione talis operis deberi tale promissum, quod jam est quodammodo factû ipsius operantis ratione juris acquisiti.* Cæterum oppidò hic fallitur Vir Doctissimus. Supponit enim posse hominem remissionem peccatorum & primam gratiam jam adeptum præstare opus in ratione meriti proportionatû vitæ aeternæ, quod satis prolixè à nobis hæctenus refutatam est.

XIIX. Contraria sententia, quæ statuit nihil DE VM nobis si accuratè loqui velimus, etiam post factam promissionem debere, sine dubio verior est, & sic adstrui posse videtur. 1. *Quicumq; semper arg, adeò etiam post factam promissionem quamlibet, sive simplicem sive conditionatam, est & manet supremus Dominus omnium rerum; ille per nullam promissionem, quam fecit hominibus, ipse fit debitor ex justitiâ. Atqui Deus semper &c. E.* Patet major. Nam repugnant sibi invicem hæc duo: esse supremum Dominum omnium rerum, & tamen hominibus aliquid debere ex justitiâ. Sanè quod quis debet alteri, illius dominio se abdicare tenetur, & ubi reddiderit, ejus haud ampliùs est Dominus. Si Deus igitur hominibus quicquam debet ex justitiâ; illius ut dominio per traditionem excidat, necesse est. Quod manifestò absurdum; quùm eo affirmato, Deus haud maneat supremus omnium rerum Dominus. Minorè nemo in dubiû facilè vocaverit. 2. *Quicumq; si id, quod alicui sub conditione promissum, etiam impleta conditione negaret, ipsi non facit injuriam, sed tantùm à veracitate & fidelitate deficit; si per promissionem non factus est alteri debitor ex justitiâ. Atqui Deus, si id quod hominibus sub conditione promissum, etiâ impleta ab illius conditione negaret, nõ utiq; faceret illis injuriâ, sed tantùm à veracitate & fidelitate deficeret. E.* Minor patet, tum ex præcedente argumento, tum et à ex eo, quod ut jus, sic etiam injuria nõ datur, nisi inter æquales, vel numero, vel proportione, ut docet Arist. l. V. Nic. c. X. Vocat autem æquales, quibus idem jus est commune, & qui iisdem legibus sunt subjeti, sic, ut si alter ab altero injuriâ afficiatur, contra quàm lex præcipit, ipsi statim ad violatæ legis Dominû recurrenti & satisfactionis petendæ sit potestas. Quod locum tum minimè habet, cum Deus homini, creator creaturæ, supremus Dominus servo comparatur. Nihil itaq; ut diximus, ex justitiâ Deus homini debet, sed proptereà duntaxat præmia promissa implentibus conditio-nem conferre tenetur, ne à suâ veracitate deficiat. Atq; hoc pacto etiam sunt explicandi veteres, quando ajunt, ut Cyprianus lib. de opere & elemosynis, *fidelium opera Deum debitorem computare, vel ut Fulgentius præ ratione ad Monimum, Deum dignatum esse suâ largitate seipsum facere debitorem.* Accuratiùs loquitur Anselmus Pro sol. c. x. *Justus es, non quia nobis reddis debitum, sed quia facis, quod decet Te summè bonum.* Et hæc de bonis fidelium operibus nunc sufficiant.

F I N I S.

### Errata sic corrigenda.

In ipsa Præfat. lit. B. lin. 1. addatur *Posse*, pag. 3. in marg. legatur *v. 9. p. 4.* in marg. add. cap. 5. p. 5. l. 12. leg. *adhibendam*. lin. 17. leg. *verbum*. in marg. add. c. 7. *Matth.* lin. 25. *inter te & ipsum*. p. 7. lin. 7. pro *ab* substit. *al.* p. 8. l. 7. pro *re* leg. *vel.* l. 10. add. *ac particip.* p. 9. lin. 3. leg. *quod*. p. 11. l. 20. *baptizatos*. p. 13. l. 7. *expoliatio*. l. 25. add. *Dominus*. p. 15. l. 4. & seqq. sic leg. *baptizandus ad cuncta respondeat*, etiamsi ea memorie mandare non *valuit* ? Si autem scriptura tacuit atq; intelligenda admisit *cetera*, que cum illo spadoe baptizando Philippus egit, atq; in eo quod ait &c. p. 17. l. 17. pro *Est* leg. *Et* lin. 25. pro *Deum*, leg. *proximum*, & add. *nec dilectio proximi, si non diligit Deum*. p. 18. in marg. *Aff. 2.* p. 19. l. 19. *cetera*. l. 30. *illorum*. p. 20. l. 19. *relinquenda*. p. 21. l. 7. pro *qui* leg. *quia*. l. 20. pro *qui* leg. *quis*. p. 22. l. 4. *Et* deleatur, legatur *verò* l. 5. *calumniaturi sumus*, l. 19. *ei dictum*. p. 26. l. 22. *liberatas*. l. 27. *obscuritatem*. p. 27. l. 11. pro *quam* leg. *quamvis*. p. 29. l. 18. *si dicat quis*. l. 28. *habitat Christus*. p. 34. l. 2. add. *sed demonstramus eos nolle Christo credere, qui vel &c.* l. 20. *erit*. p. 39. l. 6. *duxerit*. p. 45. l. 7. *inferantur, sed pro eâ, qua etiam non credentes judicabuntur. Nam qui hac utuntur sententia ad promittendam salutem per ignem illis qui etiam credentes pessimè vivunt &c.* p. 46. l. 17. *concupiscentiis carnis*. p. 47. l. 27. *oculos*. p. 56. lin. 14. *deest vox respondisse*. p. 60. n. X. lin. 3. pro *ibidem* leg. *ibidem*. p. 64. n. XIII. l. 11. pro *qui* leg. *Cui*. p. 65. l. 18. pro *induruit* leg. *inurit*. p. 67. l. 1. pro *tractat* leg. *tractatu* p. 67. l. 24. pro *sine* leg. *sine*. p. 68. n. XV. l. 2. pro *imitantur* leg. *imitantur*. p. 69. l. 6. pro *deferet* leg. *deferes*. p. 73. l. 6. pro *ut* leg. *ut ut*. p. 78. n. XXIV. l. 9. pro *hac* leg. *hæc*. p. 78. n. XXIV. l. 25. *omissa est vocula non & legendum non est ita malum &c.* p. 79. l. 24. pro *cura* leg. *curæ*. p. 87. n. 34. l. 3. *prohibent* inferatur *videlicet*. p. 89. n. 38. pro *Fidem* lege *Fidem*. p. 92. n. 4. l. 1. leg. *eandem*. p. 96. frustra repetitur illud: *noli dare linguam &c.* p. 100. l. 4. *Salvianus l. VII. de providentiâ*. p. 106. *æra* add. *Christiana* 416. p. 108. n. X. l. 6. *omissa sunt hæc verba: lib. 3. historiæ pelagianæ part. 1. thesi 11. l. 15. pro deligere leg. diligere*. p. 114. l. 11. pro *manas* leg. *manas*. p. 130. l. 9. pro *adseverint* leg. *adseverint*. Hæc ergo sic emendanda sunt. Si quæ præterea occurrunt, benevolus lector ipse corriget, nec nobis spero, imputabit, in quibus à Typographo aberratum fuit, Vnum adhuc monendum existimo. Notum est S. Augustinam purgatorij cuiusdam interdum meminisse, sed ita tamē, ut nihil profus de eo affirmet aut desinat, sed rem totam in suspensio relinquat. Quapropter cautè legenda sunt, quæ cap. XVI. libri modò à nobis editi differit. Ceterum isthæc quidem admonitio non magnopere fortassis est necessaria. Quam enim totus liber non *Ironum S. Theologiæ, sed adultiorum usum edatur, facile hi ejusmodi scopolos perse- nisi fallor, declinabunt.*


1717

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.














155570


ULB Halle  
005 959 004


3



VD 17







3  
*doctoris Aurelij  
Hipponensis*

**peribus**

N U S.

S. Theol. Doct.

haumb. Professor  
r.

*so argumento &  
entibus*

ATIO.



furgim,  
ypographus Acad.  
L.

